DE
GENERE NEUTRO INTEREUNTE
IN LINGUA LATINA.

SCRIPSIT

ERNESTUS APPEL,
WEILBURGENSIS.

ERLANGAE.
IN AEDIBUS A. DEICHERTI.
MDCCCLXXXIII.

DE
GENERE NEUTRO INTEREUNTE IN LINGUA LATINA.

SCRIPSIT

ERNESTUS APPEL,
WEILBURGENSIS.

ERLANGAE.
IN AEDIBUS A. DEICHERTI.
MDCCCLXXXIII.

Impressit Junge et filius, Erlangae.

EDUARDO WOELFFLINIO.

Libri et dissertationes imprimis a me adhibita.

Corpus inscriptionum Latinarum, praecipue Tom. XIII.
Grammatici latini, ex recens. Henr. Keilii.
F. Neue, Formenlehre der lateinischen Sprache I.[2]
F. Diez, Grammatik der romanischen Sprachen II.[3]
F. Diez, Etymologisches Wörterbuch der romanischen Sprachen 4. Aufl., mit einem Anhang von Aug. Scheler. Bonn 1878.
F. Diez, Romanische Wortschöpfung. Bonn 1875.

Forcellini, Totius Latinitatis lexicon ed. de Vit, 6 Vol. 1868 sq., cum Glossario in volumine VI addito.
Georges, Handwörterbuch, lateinisch-deutsches. 7. Aufl. 1879—80.
L. Quicherat, Addenda lexicis Latinis. Paris 1862.
Glossarium mediae et infimae Latinitatis conditum a Dufresne et Du Cange, ed. Henschel. Paris 1840—48.
Diefenbach, Glossarium Latino-Germanicum mediae et infimae Latinitatis. Frankfurt 1857. — Novum Glossarium Lat.-Germ. med. et inf. aevi. Frankf. 1867.
E. Littré, Dictionnaire de la langue française, Tome I et II. 1863.

Monumenta Germaniae. Ex his imprimis:
Scriptores rerum Longobardicarum et Italicarum saec. VI—IX.
Chronicon Altinate, in Scriptorum volumine XIV typis expressum, quod Simonsfeldius editor, qui omnino in bibliotheca regia consilio me maxime adjuvit, summa liberalitate usurpandum mihi tradidit.
Bouquet, Recueil des Historiens des Gaules et de la France. Paris 1738 sq. Vol. II—XII.
Pardessus, Diplomata, Chartae, Leges. Excerpta ex his liberalissime mecum communicavit Paulus Geyerus, magister in gymnasio Quilelmiano Monacensi.

Historiae Patriae Monumenta, ex his praecipue: Tom. I. Chartae. Aug. Taurin. 1836.

Laus Pompeja, Bibliotheca Historica Italica cura societatis Longobardicae vol. II. Milano 1879.

Marini, Papyri Diplomatici. in Roma 1805.

Monumenti de la Deputazione Veneta, Documenti II. Venezia 1877.

Monumenti Ravennati, Tom. I. Venezia 1801.

España Sagrada ed. H. Florez. Madrid 1747—1879. Tom. 1—51. Ex his praecipue tom. 14. 16. 18. 19. 21. 28. 34. 35. 50.

Ex his copiosis documentorum collectionibus quas enumeravi me partem modo esse perscrutatum moneo.

Du Méril, Poésies populaires Latines antérieures au 12. siècle. Paris 1843.

Ampère, Histoire de la formation de la langue française. Paris 1869.[2] p. 46—50.

D'Arbois de Jubainville, La déclinaison Latine en Gaule à l'époque Mérovingienne. Paris 1872. Hic usurpavit praecipue hos libros:

De Rozière, Recueil général des formules usitées dans l'empire des Francs du 5. au 10. siècle. Tom. I. 1859.

Tardif, Monuments historiques.

Bethmann, Ueber den Sprachgebrauch des Chronicon Casinense und des Andreas Presbyter von Bergamo. Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde IX. p. 662—68.

A. Darmsteter et A. Hatzfeld, Le seizième siècle en France. Paris 1878. I. §. 136 pag. 245—51.

A. Fuchs, Die romanischen Sprachen in ihrem Verhältnis zum Lateinischen. Halle 1849.

H. v. Guericke, De linguae vulgaris reliquiis ap. Petron. et in inscriptionibus parietariis Pompejanis. Koenigsberg 1875.

Hagen, De Oribasii versione Latina. Bern 1875.

Koffmane, Geschichte des Kirchenlateins. 1. Band, Heft 1 u. 2. Breslau 1879.

E. Ludwig, De Petronii sermone plebeio. Leipz. 1870.

Ludwig in Fleckeis. annal. phil. 1877. pag. 572 sq.

A. Mercier, De neutrali genere quid factum sit in Gallica lingua. Paris 1879.

P. Meyer, Bibliothèque de l'École des Chartes, Serie 5. tom. 4. p. 383—84.

Ott, Die neueren Forschungen im Gebiet des Bibellateins, in Fleckeis. ann. phil. 109. a. 1874. pag. 757 sq.

Pentateuchi versio Latina antiquissima e cod. Lugdunensi, par U. Robert. Paris Didot. 1881.

Pott, Plattlateinisch und Romanisch, Kuhns Zeitschrift I pag. 309 sq., pag. 385 sq.
K. Z. XII p. 161 sq., XIII p. 29 sq.
Das Latein im Uebergang zum Romanischen. Zeitschrift für d. Altertumswissenschaft XI (1853) Nr. 61. XII (1854) Nr. 28. 29.
Höefers Zeitschrift für d. Wissenschaft der Sprache III (1851) p. 113 sq.
Geschlecht Grammatisches, Ersch und Gruber I, 62 p. 399 sq.
H. Rassow, De Plauti substantivis. Fleckeis. ann. phil. Suppl. 12, 589.
Roensch, Itala u. Vulgata. Marburg 1875. praecipue p. 259, p. 265 sq.
H. Schuchardt, Der Vocalismus des Vulgärlateins. 1866 sq.
Fr. Strehlke, Der Geschlechtswechsel der Substantiva beim Uebergang des Lateinischen ins Französische. Archiv für das Studium der neueren Sprachen und Literatur, herausgegeb. v. Herrig XIII (1853) p. 116 sq.
L. Stuenkel, Verhältnis der Lex Romana Utinensis od. Curiensis zur schulgerechten Latinität in Fleckeis. ann. phil. Suppl. 8. 1877(78). p. 591 sq.
F. O. Weise, Die griechischen Wörter im Latein. Leipzig 1882.

Majores tamen, quam horum librorum auctoribus, gratiae mihi agendae sunt Eduardo Woelfflinio praeceptori optime de me merito, qui et opera et consilio maxime me adjuvit.

I.

Imperio Romano a Germanis deleto, cum ex linguae Latinae, per aliquot saecula vulgi imperitia ac negligentia in confusionem datae, ruinis Romanicae quas vocamus efflorescerent linguae, et formarum commutatione et eo, quod intercedit inter veteres et recentiores populos, ingenii discrimine factum est, ut complures distinctiones grammaticae evanescerent. Ac nomina quidem duplicem potissimum fortunae vicissitudinem experta esse videmus, alteram casuum formis intermortuis, exstincto genere neutro alteram. Illorum in locum, licentia sermonis vulgaris adscita, praepositiones cum substantivis conjunctae successerunt, hoc praeter pauca quaedam vestigia ita deletum est, ut multo major pars neutrorum in masculina, minor in feminina converteretur.

Huius commutationis quae fuerint in ipsa lingua Latina, praecipue in sermone vulgari et in medii aevi Latinitate, causae et initia, paulo accuratius, quam adhuc factum est, exponere in animum induxi, et ita quidem, ut neutrorum in feminina mutatorum praecipuam rationem habeam. Quae quoniam cum tota declinationum et generum in lingua Latina permutatione maxime cohaerent, hanc mihi paucis illustrandam esse existimavi.

Linguam igitur Latinam, quam certis grammaticorum regulis adstrictam pueri in ludis discunt, initio formarum multitudine abundasse, deinde ea aetate qua clarissimi florerent poetae et oratores, quamvis in angustius redactam, non totam certis finibus ac normis regi potuisse, postremo autem, sermone vulgari usquequaque irrumpente, magis magisque depravatam et ab aureae quam vocamus aetatis elegantia et concinnitate longe esse remotam, virorum doctorum nostra praecipue aetate quaestionibus satis intellectum est.

Si ad genus substantivorum animum attendimus, non pauca n o m i n a i n p r i s c i s l i t t e r i s L a t i n i s e o d e m g e n e r e videmus esse adhibita, q u o d, cum per aliquot saecula aut oblivione obru-

tum aut prorsus exstinctum esse videri posset, multo post in sermone vulgari vel in linguis Romanicis denuo in lucem emersit. Velut *diadema femininum* apud Pomponium 163, apud Apuleium Met. 10, 30, deinde in Chronico Altinatensi[1]) legimus; inde Italicis et Hispanis diadema nunc quoque feminini est generis. *Syrma* apud Afranium aliosque priscae Latinitatis auctores femininum invenitur, unde vox italica sirima facta est. *Arva* feminino generi tribuerunt non modo Naevius et Pacuvius, sed etiam auctor vitae vetustissimae S. Galli aliique medii aevi scriptores.

Abrotonus Lucretius, abrotano Italici dicunt; *corius* Plautus, Italici cuojo; *dorsus* et *foenus* Plautus et Itala; *forus* pro forum Lucilius et Isidorus; *lutus* Claudius Quadrigarius, inscriptio Pompejana, aliae inscriptiones; *patibulus* Plautus et Carolus Magnus in capitulario anno 813 promulgato; *sceptrus* Pacuvius, francog. le sceptre; *symbolus* Plautus, franc. le symbole; *tributus* Plautus, Cato, lex Romana Utinensis, francog. le tribut; *murmur* masc. Varro et Itala.

Contra *caseum* legitur apud Plautum ac Catonem et in Oribasii versione; *catinum* apud Catonem et in Glossa apud Diefenbachium; *culleum* apud Catonem atque Isidorum et in Glossario Diefenbachii; *gladium* apud Lucilium, alios priscos scriptores, in Itala, apud Agnellum saeculo nono; *mundum* apud Lucilium et infimae quendam Latinitatis auctorem; *pane* apud Plautum et Arnobium; *sanguen* in lingua prisca ab Ennio usque ad Varronem, deinde apud Petronium et Lactantium.

Grex femінino genere posuerunt Lucilius et Lucretius, idem praebent inscriptiones apud Gruter. et Orellium et in actis fratr. arval. Marini p. 257 (cf. Neue 667), deinde saepius versio vetustissima pentateuchi codice Lugdunensi servata; *canalis* fem. Cato, Varro, Isidor., nonnulli medii aevi scriptores, velut Guido de Vigev. de modo expugnandi, Charta Ferdinandi II regis Legion. a. 1183 in Esp. Sagr. 18, 363; *lapis* fem. Ennius, Varro, Grom. lat. p. 311 Bl., lex Salica.

Ab eo quod est *merulus*, quod ne pro merula dicatur Varro d. l l. 9, 55 monet, merlo in lingua italica, merle in lingua provinciali et francogallica fictum est. *Arborum* nomina cy-

---

1) Semel monuisse sufficiat et eos locos, quos in indice collegi, et eos, qui apud Neuium vel Georgium facile inspici possunt, plerosque a me de consulto non accurate esse laudatos.

pressus, laurus, platanus, populus vetustissimis masculino quoque prolata esse genere Priscianus 5, 8, 42 (H. I, 169) testatur, ‚rectos cupressus' Enn. ap. Gell. 13, 20, 13, ‚de eo fico' Cato de r. r. 42 praebet, et hic quidem fem. ficos c. 8. Notum est Romanicis arbores masculina esse.

Alias priscae Latinitatis formas, quae ut eadem generum commutatione ortae, ita non ipsae eodem genere ad medium aevum propagatae sunt, ex indice infra addito cognoscas. Inde praeterea intellegetur vel aurea linguae aetate non omnia substantiva uno constanter adhibita esse genere, immo ipsum Varronem grammaticum ac Ciceronem alio alibi genere eandem vocem protulisse, deinde magis magisque progressam linguae Latinae corruptionem ex generis confusione optime cognosci.

Cuius depravationis non exigua invenimus vestigia in librorum sacrorum versionibus et in scriptis ecclesiasticis, cum episcopi, quamvis plerique bene eruditi, ante omnia operam darent ut, dilucide et simpliciter, quae vulgus sine ulla difficultate intellegeret, exprimerent. Quod ipsi nonnunquam libere sunt professi. Velut Hieronymus ad Ezech. 40 adnotat: ‚semel monuisse sufficiat, nosse me, cubitum et cubita neutro appellari genere, sed pro simplicitate et facilitate intellegentiae vulgique consuetudine ponere masculino.'

Quam frequenter genera inter se mixta sint, clarissime inde apparet, quod multi grammatici in libris de dubio sermone scriptis praeter alias formarum variationes de genere dubio fusius egerunt, eo consilio, ut repressa sermonis vulgaris licentia, id genus sua apud discentes auctoritate tuerentur, quod aurea aetate usitatum erat. Quo pertinent C. Plinii Secundi de dubio sermone libri octo, Julii Romani liber de analogia, Flavii Capri libri sermonis dubii (sive de dubiis generibus).

Ex iis quae, partim ex libris illis hausta, partim, confusione magis magisque irrumpente, postea conscripta, ad nostram pervenerunt aetatem scriptis grammaticis, ante omnia huc referenda sunt, quae Nonius Cap. III ‚De indiscretis generibus per litteras' p. 190—231 M. et Priscian. Herz. 1 p. 169—71 colligunt, deinde liber de dubiis nominibus ap. Keil. 5, 571—94, dissertatio de verbis dubiis ap. Keil. 7, 107—12, quae sub Capri nomine fertur et maximam partem ex eius libro videtur esse excerpta, denique Bedae liber de orthographia ap. Keil. 7, 261 sq. Adde imprimis quae praebent Diomedes ap. Keil. 1, 327, 1 sq., auctor

excerptorum de nomine, quae Probi nomine tradita sunt, ap. Keil. 4, 280 sq., Consentius in Arte ap. Keil. 5, 345, 10 sq.

Postea gentes barbarae, in provincias imperii Romani irrumpentes, linguam, quam sermone cotidiano vehementer detortam cognoverant, magis etiam corruperunt. Et generis quidem conversio prius in Gallia[1]) et Italia, postea in Hispania increbruit, quamquam jam Isidorus nonnulla eius exempla praebet. Quo vehementius nono saeculo et sequentibus ab Hispanis confusa sunt genera; quin ipsos episcopos Hispanienses hac aetate, qua ecclesiastici Gallorum, Germanorum, Italorum non multum depravato utebantur sermone Latino, non bene eruditos fuisse in lingua Latina ex documentis in España Sagrada collectis facillime cognoscitur.

Hoc statim loco moneo, cum in vocibus ex lingua Graeca adscitis, tum in iis, quae maxime in ore rusticorum florebant, saepissime jam antiquis temporibus genus fluctuasse. Documento sint, quae non uno loco reperiuntur: arva, praedia, territoria, prata, funda, fundora, tribula, retia, rapa, arater, opera, faenus, praeterea caseus, ganea, fila, caelus, sepulcrus, nova, matellum. Adde membra corporis de quibus infra dicendum erit. Quod ad vocabula ex lingua Graeca deprompta attinet, neutra in μα desinentia et multa urbium nomina pluralia generis neutrius in feminina esse conversa, multa feminina in is exeuntia ad pri-

---

1) Inspicias prooemium a Gregorio Turonensi libro Miraculorum 7. (sive de gloria confessorum) antepositum (ap. H. L. Bordier Greg. Tur. libri mirac. aliaque opera minora, Tome II. Paris. 1860, p. 339—41), ubi episcopus, qui sine dubio inter aequales doctrina excellebat, hoc modo queritur: ‚Timeo, ne cum scribere coepero, quia sum sine litteris rhetoricis et arte grammatica, dicat mihi aliquis: ... opus hoc a peritis accipi putas, cui ingenium artis non suppeditat, nec ulla litterarum scientia subministrat? qui nullum argumentum utile in litteris habes, qui nomina discernere nescis; saepius pro masculinis feminea, pro femineis neutra et pro neutris masculina commutas, qui ipsas quoque praepositiones, quas nobilium dictatorum observari sanxit auctoritas, loco debito plerumque non locas. Nam pro ablativis accusativa et rursum pro accusativis ablativa ponis. Putasne videbitur, ut bos piger palaestrae ludum exerceat, aut asinus segnis inter sphaeristarum ordinem celeri volatu discurrat?‘ — Adnoto tamen, Gregorium qui, ignorantiae sibi conscius, operam dederit, ne genera commutaret, pro librorum copia non ita multos eiusmodi errores commisisse, quamquam, ut nonnulla afferam, sputus masc. albula, campanea, claustra, horrea, sabana, vitra, cataplasma fem. posuit.

mam transiisse declinationem, nonnulla masculina et feminina primae declinationis diverso generi attributa esse post videbimus.

Neque hoc videtur esse praetermittendum, in magno neutrorum numero longe esse dubitatum, quod potissimum genus sequerentur. Et formas masculinas a singulari neutrorum, femininas a plurali ortas esse infra comprobabimus. Inde factum est, ut nonnullae voces ad alias alio genere linguas recentiores propagarentur. Praeterea haec duplicum formarum abundantia Romanicis, imprimis Italicis, felicissimam praebebat copiam subtiliores significationes, praecipue in numero plurali, exprimendi. Ceterum ab ipsis Romanis in plurali nonnullas voces genere a singulari diverso, quin etiam non paucas duplici adhibitas esse Neuius pag. 540 sq. tam multis confirmavit exemplis, ut mihi omittendum sit, praesertim cum persuasum habeam, casu accidisse ut, quae initio utroque promiscue prolata essent genere, aliud in singulari, aliud in plurali genus sensim acciperent. In singulis autem linguis Romanicis similem observari varietatem et multa substantiva nostra aetate alio proferri genere quam in linguae primordiis, ut illustrem a proposito meo abest. Quamquam praecipue in lingua francogallica id modo singulorum nominum genus mihi respiciendum est, quod prisca aetate exstat, id quod postea hominum lingua Latina eruditorum auctoritate receptum est, ad materiam meam non pertinet.

Sed quae supra dixi paucis confirmabo exemplis. *Cavus* Varro, alii, ital. cavo. *cava* Grom. etc., it. cava, hispan., lusit., prov. cava, franc. cave; *cerebellus* Oribas. etc., masc. Romanici. *cerebella* versio Galeni etc., it. plur. cervella etc.; *debitus* Lex Sal. etc., it. debito. *debita* Thes. nov. Lat. Mai pag. 268, hispan. denda. franc. debte comm. Montaigne, nostra aetate dette fem.; *filus* Lucan etc., franc. fil etc. *fila* Capitul. Caroli a. 790, franc. file etc.; *folius* Gloss. Sang., it. foglio. *folia* Isidor. etc., it. foglia etc.; *lignus* Gromatici, Itala, it. legno etc. *ligna* inde a saeculo octavo, it. legna etc. De iis quae sunt *organus* et *organa* infra dicam. Pauciora uno sunt genere a Romanicis recepta, velut *judicius* Formula Andegavens. etc., it. giudicio. *judicia* Charta itala a. 991; *jugus* Itala etc., it. giogo etc. *jugias* Charta itala a. 761 etc.

Deinde ostendam, saepe feminina vel masculina per formam neutralem in medio positam ad genus contrarium transiisse. Facilius autem e neutris et masculina et

feminina fieri postea docebo. Colligam igitur nonnulla vocabula quae e femininis primo neutra, deinde masculina facta esse demonstrare possum. Horum quamquam non ita multa inveni, tamen in nonnullis, velut in eo quod est praestigia haec confusio clarissime mihi videtur apparere; adde locum supra citatum Gregorii, qui saepissime se pro femineis neutra ponere confitetur.

Arrogia Plin. nat. hist., arrogium Charta saeculi 8., hisp. arroyo etc.; *copula* femin. inde a Plauto. copula neutr. plur. Comment. Einsiedl., copulum Gloss. ap. Diefenb. franc. inde a priscis temporibus saepissime masculinum, cf. Littré; *manica* inde a Plauto. ‚vulgo manicum' Papius. manico postremo aevo medio, it. etc.; pro *palpebra* palpebrum dici Nonius docet, palpebra plur. Cael. Aurel. saepe, hisp. parpado etc.; *praestigia* Plautus, alii. praestigium Hieron., Gloss. Placidi, Gregor. Turon., praestigia plur. Epistola Paulini Aquilej. Patriarchi a. 802. franc. le prestige, it. prestigio, prestigia masc.; *tegula* inde a Plauto. tegulum Plin. nat. hist., Gloss. Cl. Auct. 7, 583. it. tegolo etc.

Eodem modo e masculinis feminina facta sunt et alia et quae sequuntur. *Capulus* Plaut. etc. capulum Paul. Festi etc. capula fem. Dipl. ital. a. 840. lusit. gavela etc. a diminutivo capella; *carrus* Sisenna, Varro, Caesar etc. carra plur. Bell. Hispan. etc. it. carro, plur. fem. carra; a *circulus* circula plur. Cassiodor. circula fem. medio aevo. it. cerchio, plur. fem. cerchia; *congius* inde a Catone. congium Glossa. it. cogno, plur. fem. cogna; *cubitus* inde a Plauto, cubitum inde a Caecilio. it. gomito, plur. fem. gomita; *cultellus* Varro. cultellum Prob. App., Gloss. it. coltello, pl. fem. coltella; pro *digitus* digitum complurīes Lex Long. prisc. franc. etiam la doie, it. dito, pl. fem. dita, val. deaget, pl. fem. deagete; *ducatus*. ducatum Charta a. 896. franc. duché usque ad saeculum 17. plerumque fem.; pro *fundus* fundum Charta a. 540. funda Charta itala a. 673, it. funda; pro *fusi* fusa plur. Hieron., Symmach. it. fuso, plur. fem. fusa, val. fus, plur. fem. fuse; *gradus*. grada plur. Asper. grada femin. Instrum. circa a. 1050. hisp. grada, grado. lusit. graza. grat; pro *lectus* lectum Ulpian., alii. it. letto, plur. fem. letta; pro *radius* radium Caper, Albin., Beda, Chron. Alt. it. razza etc.; *sagus* inde ab Ennio, sagum inde a Lucilio. it. saja, sajo; *viscus* inde a Plauto, viscum inde a Cicerone. visca fem. Chron. Nov., hisp. hisca. — Horum plura quam hic adnotavi primitivo quoque genere ad linguas Romanicas pervenisse, ex indice cognoscas.

II.

Formae quid valuerint ad genera commutanda.

Quoniam, quam late patuerit generum confusio, nonnullis exemplis ostendimus, jam, quibus rebus facta sit, quaeramus. Ante omnia eo id referendum est, quod inde a tertio post Christum natum saeculo extremae substantivorum syllabae, quibus olim genera discernebantur, sermone cotidiano neglegenter enuntiatae partim vehementer confundebantur, partim magis magisque evanescebant. Quid? quod, postquam multi tituli vetustissimis temporibus insculpti in lucem sunt editi, cognitum est m et s consonantes, quibus solis nominativi singularis masculinorum ac neutrorum secundae declinationis inter se differebant, enuntiando obscuratas jam Punicorum bellorum aetate frequenter esse omissas, veluti in titulis sepulchralibus Scipionum. Quocum optime convenit, quod a vetustissimis Romanorum poetis et oratoribus talia vocabula non ita pauca diversis locis diverso genere sunt prolata. Tantam confusionem ea, qua maxime floreret linguae venustas aetate, oratores et grammatici, quoad eius fieri potuit, coercere studebant; sed, sermone vulgari propagata, labentibus et ad interitum vergentibus litteris Latinis, usquequaque irrupit.

Itaque s et m consonantes rursus, haec ab extremo saeculo tertio, illa ab extremo saeculo quarto p. Chr. n. saepissime sunt abjecta, cf. Corssenii librum,qui inscribitur ‚aussprache, vocalismus und betonung der lateinischen sprache' I[1] pag. 110. Quo factum est, ut terminationibus nominativi singularis um et us obscuratis, et masculina et neutra in u vel o exirent, quin etiam in singulari praeter vocativum omnino non essent distincta. Earundem consonantium in extremis vocibus interitu tertiae quoque declinationis masculina et feminina ad neutra magis accesserunt. Adde quod littera m in exitu deleta accusativus singularis femininorum primae declinationis ab accusativo plurali neutrorum non jam poterat dignosci. Quid igitur est, cur miremur, si Romanici genus neutrum non receperunt, quod si conservassent, novam distinctionis formam debuissent fingere. Abolescente igitur eo genere, quod Pottius in Erschii et Gruberi Encyclopaedia postremo fictum esse comprobat, formae similitudinem secuta, quae singulari solebant proferri neutra in masculina, quae plurali in feminina conversa sunt.

Praeterea ad genera varianda magni momenti erat, quod vocales in fine verborum accentu carentes, cum enuntiando magis aliae aliis accommodarentur, facile inter se miscebantur. Ut o et pro a primae declinationis et pro a neutrorum pluralium saepe in codicibus initio medii aevi confectis, praecipue in codice Clarimontano Epistolarum Pauli, sexto saeculo in Africa conscripto, inveniri Schuchardtius, Vocalismus des vulgaerlateins I p. 169 sq. accurate demonstravit.

Praesertim i antecedente, a et o inter se mixta sunt ac saepius a in o commutatum est. Velut, alimonio excepto, quod, si quidem recte titulus ille fabulae Naevii a Donato ad Ter. Adelph. 4, 1, 21 traditus est, e neutro in femininum inde a Varrone est conversum, monia exitus prisca aetate, monium posteriore est praelatus. Velut *agrimonium* primum in Itala, *caerimonium* in inscriptione ap. Orelli 3188, *querimonium* ap. Venantium Fortunatum, *sanctimonium* ap. Augustinum, *tristimonium* ap. Petronium, *acrimonium* in Gl. Amplon., *parsimonium* in Vita Anskarii Mon. G. S. II. Eodem modo nulla vocabula Graeca in ‚ia' in ‚ium' postea exierunt.

Deinde ab initio saeculi quarti i pro ae in genetivo et dativo singularis primae frequenter scriptum invenitur, unde ne has quidem vocales enuntiando dilucide distinctas esse patet, cf. Schuch. 1, 475. Accedit quod, vocalibus o et u promiscue positis, quarta a secunda declinatione in plerisque casibus jam non erat separata, cuius confusionis primordia apud vetustissimos Romanorum poetas et oratores inveniri ex Neuio I §. 93 sq. et §. 122 cognoscimus. De qua re ut copiosius agam, quoniam ad genera mixta non multum attinet, a proposito meo abest.

Sed hoc non silentio praetermittendum existimavi multo majorem vocum numerum a tertia declinatione ad primam et alteram, quam ab his ad illam translatum esse. Quod eadem de causa factum est, qua multa verba a tertia conjugatione ad primam sunt deflexa. Nam ne ulla forma magnam loquentibus difficultatem praeberet, deflorescente lingua Latina maxime homines studebant; faciliorem autem esse primam quam tertiam declinationem ad adhibendum atque in prima et altera declinatione genera melius dignosci, quis est qui nesciat? Italicis autem, Hispanis, Lusitanis vocalium a et o suavem sonum maxime placere, ex eis, quibus hodie utuntur, linguis cognoscimus.

Ut jam quae contendi paucis exemplis, ex uno substantivorum genere repetitis, confirmem, voces Graecae in as, is, ys, a Latinis prima declinatione flexae, optimam dant facultatem, de quibus cf. Weise, ‚Die Griechischen Wörter im Latein' in indice. Magidam igitur primus Varro; crepida Catullus; Borystenidam, Maeotidam Mela; Salamina Valerius Maximus, haemorrhoida Plinius n. h.; hebdomada Gellius, Censorinus, Ecclesiastici, Agnellus 26, saepissime medii aevi scriptores; chlamyda Apulejus, collyrida Itala, decada Irenaeus, Iliada Solinus, Pallada Arnobius, picrida Augustinus; Bryseidam, Chryseidam Hyginus; lepida Pelagonius, Tritonida Martianus Capella, ascarida Caelius Aurelianus; absis Plinius, alii, ‚utrum absidam an absidem dicere debeamus hoc verbi genus ambiguum quidam doctorum existimant' Isidorus cf. Neuium p. 324, absida Gloss. ap. Loewe p. 149, aliae Glossae, Agnellus 91, saepissime medio aevo; parotida Mai thes. nov. Lat. 423.

Sed plurimae quoque voces vere Latinae genere conservato a tertia declinatione deflexae sunt, quod ut illustrem, ex magna exemplorum collectorum multitudine pauca, pleraque ad linguas Romanicas pertinentia, eligam. Sic *aeroru* genetiv. praebet Inscr. Henzen 5842; *conclavium* (conclave) Virg. gramm. epit. 8 p. 137, ital. conclavio, conclave; *‚lado* uno' nomin. exempli causa Mon. H. P. Ch. I, 125 a. 925, it. lato; per *lito* Doc. Ven. II, 51 a. 919, it. lido, lito; *ossis* Acc. annal., ossum Augustin. de doctrin. Christ. 3, 3, 7 ubi adnotat: ‚melius est ut reprehendant nos grammatici quam non intellegant populi'. cf. Neue 564. it. osso; *stibium* Scribon., alii (stibi Celsus, alii), it. stibio.

Cum *bovis* suis pro bobus Mon. H. P. Ch. I, 888 a. 1177; *comus* pro comes Rozière 407; *dolus* pro dolor Corp. J. 3, 1903 etc.; *fustos* aluinus (fustes) Lex Sal. Guelf. 62, it. fusto; in *rigo* (rigore) M. H. P. Ch. I, 683 a. 1088, it. rigo; ‚*turnus* vermis' Gloss. ap. Forc., tarmus et tarmes Thom. Thes. n. L. p. 276, termus Thom. p. 591, tarmus Gl. Isid., Vita S. Genovevae, Joh. de Janua, termus, termi Gloss. Mai Thes. n. Lat. 591 (it. tarlo cf. Diez Et. Wörterb. [4] p. 316); *verrum* Lex Sal. ex cod. Paris. R. 2, Lex Sal. a Carolo emend. 2, 12, it. verro, hisp. verraco. — in *dotis* Cap. Chlodovechi a. 500 n. 11 Mon. Germ. Leg. 2, 3, 42. 4, 4, ubi dos saepius. cum dotis M. H. P. Ch. I, 665 a. 1083. it. dota, dote fem.; *sedia* et *sedium* (sedes) medio aevo, it. seggio, seggiola et seggiolo.

E masculino in femininum hoc modo conversum est exempli causa: *gurges.* ‚gurga' Grom. lat. p. 330. it. ‚gorga' etc. — ‚gurgus' Marc. Hisp. col. 875 a. 957. it. ‚gorgo' etc. Diez, Et. W. 170, contra e feminino in masculinum *carduelis.* ‚cardellus' Gl. Mai Cl. Auct. 7, 750. ‚carduellus' etc. Diefenb. nov. Gloss. it. ‚cardello'. — Sed ne id quidem praetermittendum est, pro vocabulis primitivis, quae secundae erant declinationis, saepius augmentativa, quae tertia flectebantur, in sermone vulgari esse posita. Velut et ‚scopius' et ‚scopio' veteres Romani dicebant ac pro ‚trulleus' ‚trullio' exhibent Plin. Val. et Th. Prisc. 4, 1.

Praeterea casus, praecipue ablativus et accusativus cum praepositionibus conjuncti, in lingua vulgari ab ineunte medio aevo, et magis etiam inde a quarto p. Ch. n. saeculo, promiscue fere sunt positi; ac primum quidem in numero singulari, cum littera ‚m', prout cuique libebat, in accusativo omitteretur aut retineretur, in ablativo adiceretur.

Deinde ubi, velut in accusativo et ablativo pluralis vel in pronomine ‚is', singulorum casuum formae clare erant distinctae, saepissime jam primis post Christum natum saeculis sermone vulgari altera alteri substituta est. Maxime praepositionum cum substantivis conjunctarum, praecipue praepositionis ‚in', quippe quae et ablativo et accusativo adderetur, quae esset recta constructio homines prorsus fere obliti erant. Praeterea verbis finitis alii alibi substantivorum casus additi sunt. Quo factum est, ut postremo, postquam omnes cum omnibus casus mixti sunt, casuum distinctio plane exstinqueretur. Cum autem ipsis casuum terminationibus genera separarentur, necesse erat, ut, illis deletis, haec quoque confunderentur. De ea casuum commutatione inspicias exempli causa Rönsch, It. u. Vulg. pag. 406—15, Kraus, De praepositionum usu apud sex scriptores historiae Augustae (Vindobonae 1882), pag. 92, praefationem Roberti ad codicem Lugdunensem Pentateuchi, indicem voluminis VIII corporis inscriptionum Latinarum, Hagenii dissertationem de Oribasii versione Latina.

Denique medio aevo generum commutatio assonantiae studio videtur esse adjuta; saepissime enim, ubi duo vocabula diversas in syllabas exeuntia juxta ponenda erant, alterum alteri, nulla ratione numeri vel casus grammatici habita, accommodatum est. Velut in chronico Novaliciensi pag. 5 legimus: ‚erat tanta vigilantia et studia sanctitatis', apud Agnellum, qui

circa annum 840 scripsit, cap. 100 ‚de impiorum poena sollicitus, de paradisi gaudia'. Adde exempli causa: ‚capita inculta squalidaque barba incedebant' Charta Secusian. Mon. H. P. Ch. I, 362, 41; ‚terra pacificata et sacramenta data' Andr. Bergam. 5; ‚de vita et claustra monachorum' M. H. P. Ch. I, 90 a. 898; ‚excerpto herba, aqua et ligna' Pippini R. Capit. a. 768. Mon. Germ. Leg. II, 14, 7. Quibus omnibus locis dubium est, utrum casus confusi sint, an vocabula illa cum femininis conjuncta, praesertim si postea ad genus femininum detorta sunt, muliebria sint ducenda. Et mihi quidem, qui ita dicebant, generis differentiam jam non videntur sensisse. Eodem autem studio homoeotelenti, quod in substantivis, vel nude positis, vel cum adjectivis conjunctis, ne optimae quidem aetatis poetae et oratores fugere aut studebant aut poterant, consuetudo illa latius patuit, quo Romanici versus in simili sono syllabas exeuntes componebant.

Quoniam quae fuerit terminationum obscuratarum casuumque mixtorum vis, satis nobis videmur illustrasse, nunc numeri pluralis cum singulari confusionem exponemus, quae, cum saepissime fieret, nonnihil contulit ad neutra in feminina primae declinationis convertenda, praesertim cum utrorumque nominativi in ‚a' desinerent, accusativi, littera ‚m' in fine saepissime abjecta, nihil fere inter se differrent, pro ablativo neutrorum frequenter accusativus cum femininorum ablativo conveniens poneretur. Itaque nonnulla neutra, quae pluralia tantum enuntiabantur, primis post Chr. n. saeculis in feminina sunt conversa. Velut ‚castra' in Itala, ‚spolia' apud Augustinum, ‚arma' in Rotharis lege Longobardica feminina leguntur.

Quaerendum est igitur, quando primum in litteris Latinis pluralis neutrorum praeter necessitatem frequenter sit usurpatus. Qua de re si paulo copiosius dicam, viris doctis non ingratum me facturum esse confido, quia ea quae commemorabo ad ipsam carmina compingendi apud poetas Latinos rationem haud parvi sunt momenti. Ac consuetudinem illam a poetis et epicis et elegiacis, inter quos cum major numerus poetarum Latinorum, tum ii, qui ut ingenio atque auctoritate, ita poematum multitudine eminent, referendi sunt, ortam esse, si paulo accuratius inquisiverimus in illos, perspiciemus. Ac metro coactos esse poetas, ut ea licentia uterentur, apparet.

Sed priusquam ad rem ipsam perveniam, ii, qui antea de

hac re scripserunt, mihi commemorandi sunt. Ac poetas Latinos et in eligendis et in declinandis vocibus saepissime hexametri legibus ductos esse Koenius. ‚Ueber die Sprache der römischen Epiker' (Monasterii 1840) demonstravit, ubi ea, quae nos paulo copiosius exponemus, breviter pag. 57 sq. et pag. 105 attigit. Cf. etiam Draegeri syntaxeos partis I paragraphos primas, praecipue §. 5 et Hultgren in Fleckeis ann. phil. 1873 pag. 745—72; de eodem usu apud Tibullum J. Streifinger, De syntaxi Tibulli. (Würzburg 1882). Adde Spitta, Quaestiones Vergilianae. (Gottingae 1867) et Riemann, Etudes sur la langue de T. Live. (Paris 1879.) 41 sq.

Lingua igitur Latina plurimos trochaeos et iambos, paucos dactylos poetis suppeditabat, quo factum est, ut priscus ille et popularis versus, saturnium quem vocamus, ex iambis praecipue et trochaeis constaret. Cum autem versum heroicum, Graecos imitatus, Ennius Latio inferret, quamquam neque ingenio et judicio carebat, neque operae parcebat, tamen ut molliter et eleganter versus caderent perficere non potuit, sed annalium libros composuit spondeorum copia abundantes. Quanta vero temeritate, ut versus suos absolveret, non raro normas in lingua valentes neglexerit, satis constat.

Atque antiquorum quidem temporum poetae, Homerum secuti, dactylum praecipue in quinto versus heroici pede collocabant; posteriores, imprimis Ovidius, primo quoque loco dactylum spondeo praeponebant, ut his multo majore dactylorum numero opus esset. De hac re Th. Birt, Ad historiam hexametri latini symbola. (Bonn 1877) et Hultgren l. c. accuratissime egerunt.

Qua autem re poetae dactylorum inopia laborantes magis poterant adjuvari, quam neutris pluraliter usurpatis, quibus aut ipsis dactylus contineretur aut, si in trochaeum exirent, optima daretur dactyli explendi facultas? Quid, quod eorundem vocabulorum magnus numerus velut ‚gaudium, taedium, silentium, convicium, convivium', quae ante terminationem haberent trochaeum, praeter illos casus in ‚a' desinentes, nisi syllaba postrema elisa, omnino in hexametro locum habere non poterant? Elisionem autem, praesertim si terminationi vocalis antecessit, optimum quemque poetam vitasse, vel inde cognoscimus, quod ea in neutris pluralibus raro poetae usi sunt. Eodem pertinet, quod Koenius pag. 75 commemorat, eadem sen-

tentia Ovidium saepissime ‚freta‘, rarissime ‚maria‘ dixisse. Adde quod, plurali posito, adjectiva quoque, cum illis neutris conjuncta, si secunda declinatione flectebantur, pro ancipiti syllaba extrema, quae, si trochaeus velut in *optimum* et *pessimum* anteibat, hexametro inseri nullo modo poterat, brevem accipiebant, si tertiam sequebantur, velut *tristia, illustria* dactylorum numerum augebant. Velut ex vocabulis Ovidii metamorphoseon libri 4 versus 359, ‚subjectatque manus invitaque pectora tangit‘ scl. Salmacis, nisi plurali ‚pectora‘ posito, hexameter componi non potest.

Eo facilius autem poetae, qui, pro libertate divinae illi arti omnibus temporibus concessa, non tam scrupulose leges grammaticas in versibus compingendis observabant, quam soni jucundi efficiendi studio ducebantur, licentia illa frui poterant, primum quia vel apud oratores Latinos nonnulla vocabula pluralia tantum enuntiabantur, in quibus numeri vis temporis diuturnitate in oblivionem data erat, deinde quia pluralis saepe, ubi sententia non poscebatur, concinnitatis causa ponebatur. Tamen cum linguae natura usum illum non convenire, vel ex versu illo ludicro in Vergilium a Bavio et Maevio composito, quem Servius ad Georg. 1, 210 tradit: ‚ordea qui dixit superest ut tritica dicat‘ cognoscimus. Adde, quod idem Servius ad Verg. ecl. 5, 36 ad vocabulum ‚hordea‘ adnotat: ‚usurpative metri causa dixit, nam ordeum etc. numeri tantum singularis sunt, unde pluraliter in prosa uti non possumus‘.

Haud ignoro poetas epicos, quamquam nonnullas sermonis plebei formas metri causa admiserint, ad posteriorum temporum sermonem vulgarem non ita multum valuisse; at cum Vergilius summo studio legeretur, facile fieri potuit ut ex poematis in orationem solutam usus ille traduceretur. Certe ex illis in medii aevi carmina versu heroico composita propagatus est. Quare cum hac poetarum consuetudine aucta esse videatur ea, quae posteriore aevo facta est, numerorum et generum confusio, a proposito meo non abhorrere videtur, si non pleraque quae huc pertinent colligam, paulo tamen accuratius in hanc pluralis apud poetas abundantiam investigabo.

Jam in Ennii annalibus in versu 143 legimus: ‚Isque dies postquam Ancus Martius *rēgnă* rĕcepit‘; cf. Verg. Aen. 1, 206 ‚regna‘ scl. Troiae, 620 ‚Teucrum nŏvă rēgnă petentem‘; 2, 22 ‚Priami regna‘, saepius, quamquam ‚regnum‘ non raro apud

eundem legitur. Valer. Flacc. 2, 593. 607. 3, 304, saepius, qui de singulari solum genetivum ,regni' ter posuit. Lucan. 2, 424. 563, saepius, qui tamen singulari saepe utitur. ,tua regna' Dracontius 8, 268. 533; ,Francorum regna' Frodoardi versus de Hadriano primo papa.

Deinde Ennius *aēquŏră*[1]) ad mare significandum in annalium versu 476 (Labitur uncta carina per aequora cana celocis) posuit, ut ,aequora' et ,aequor' eadem sententia apud posteriores poetas, velut Vergilium (cf. exempli causa ,aequor' Aen. 1, 142, ,aequora' 154. 164), Lucanum, Valerium Flaccum, nullo discrimine intercedente, leguntur. Sane ablativi singularis et pluralis nullo discrimine ponuntur, ille, qui cum metro optime convenit, saepissime, hic a ceteris poetis raro, a Valerio Flacco nunquam. Saepe inde a Lucretio ,aēquŏră pōntī' (cf. κέλευθα θαλάσσης apud Homerum) simul proferuntur.

Porro in epitaphio nobilissimo Ennius monet: ,Nemo me lacrumis decoret nec *fūnĕră* fletu faxit', eodem modo quo Vergilius, qui ,funus' quater, ,funeris' ter, ,funere' undecies, ,funera' vicies usurpat, de uno homine ,funera' dicit Aen. 4, 500, eadem sententia, qua ablativo ,funere' v. 308 utitur, Valerius Flaccus, qui undecies ,funera' pluralem, ex singulari genetivum solum et ablativum praebet, ut unum locum diserte afferam, ,funera mea' 3, 298.

Deinde de uno vocabulo, quod in linguis Romanicis femininum genus exhibet, fusius agam. Eius vocabuli quod est ,gaudium' solus nominativus et accusativus pluralis ,g a u d i a' et hic saepissime a Lucretio, Vergilio (septem fere locis), Horatio, Propertio (10 f. l.), Tibullo, Ovidio, Valerio Flacco (9 locis), Juvenali (7 f. l.), Ausonio poeta (13 f. l.), Claudiano (13 l., ubique quinto versus heroici loco) usurpatur. Apud unum Catullum, qui multo saepius quam posterioris aevi poetae elisione usus est, 91, 9 ,gaudium', terminatione ante praepositionem ,in' elisa, legitur. Ac saepissime ,gaudia' in quinto hexametri et in

---

1) Hoc vocabulo poetae soli prisca et aurea aetate mare significabant. Nam frustulum illud: ,aequore et terra', quod apud Donatum ad Ter. Phorm. 2, 1, 13 loco exhausto e Sallustii historiis (1, 41, 4, cf. quae adnotavit Dietzchius ad hunc locum) adhaeret, vix ac ne vix quidem Sallustianum videtur esse, sed ex aliquo argentei aevi scriptore, qui Vergilium (cf. ge. 3, 201. A. 4, 240. 6, 692) imitabatur, depromptum.

quarto pentametri pede, frequenter hexametri et pentametri prima sede positum est, quarta hexametri sede apud solos Ennium annal. 247, Horatium sat. 1, 5, 43, Calpurnium, Ausonium, hoc est apud eos, qui subtilissimam hexametri fingendi artem aut nondum adepti sint, aut amiserint. Iisdem versuum sedibus, illis saepius, his rarius cetera neutra pluralia a poëtis sunt posita. Sed hoc ex hexametri Latini natura effici, cum omnino illis praecipue sedibus dactyli incisione non accidente ponantur, quicumque carmen epicum vel elegiacum inspexerit, cognoscet. Apud Ovidium, ubi plus quinquaginta locis ‚gaudia' scriptum est, ‚gaudium', si ulla est Burmani indici fides, nusquam, non semper sensu pluralem exigi apparet, velut hoc loco singularis, metro non urgente, bene se haberet: met. 8, 236: ‚Hunc miseri tumulo ponentem corpora nati (scl. Icari) Garrula ramosa prospexit ab ilice perdix. Et plausit pennis testataque *gaudia* cantu est', adde met. 12, 285; Calpurn. 7, 16, saepius.

Plerumque, praecipue apud Ovidium, hoc vocabulo id significatur, quod ille art. am. 2, 459 et 3, 805 *gaudia Veneris*, Lucretius 4, 1106 *amoris gaudia* dixit, (cf. Tib. 2, 1, 12. ‚Cui tulit hesterna *gaudia* nocte Venus') saepe, ut hoc Lucretii loco, conubium. Ipsa quoque puella (vel adolescens amatus), in qua omnia amantis gaudia continentur, frequenter hoc vocabulo appellatur, ut Ov. heroid. 18 v. 41 ‚mea *gaudia*', Verg. Aen. 10, 325 ‚nova *gaudia*', Rutilius Namatianus 1, 261 ‚Agenorii rapturus *gaudia* furti', ‚frequenti in re amatoria vocabulo', ut recte adnotat Zumptius ad hunc locum. His locis plurativo numero propriam exprimi sententiam, minime nego; sed notandum est, huius vocabuli abstracti pluralem, in oratione soluta rarissime usurpatum, apud poetas saepissime reperiri. De vocabulo ‚amores', quod eodem sensu saepissime legitur, cf. C. F. Jacob, De usu numeri pluralis apud poetas Latinos (Progr. scholae Provincialis Portensis. Numburgi 1841.) pag. 9 et 10, qui tamen, quanta fuerit metri vis non intellexit, cum ob solam loci sententiam eiusmodi plurales positos esse putaret. De usu pluralis ‚gaudia' apud veteres oratores Romanos, a quibus non temere profertur, cf. Neuium p. 423. Moneo tamen, Ciceronem ‚gaudia' cum vocabulis singulariter elatis jungere, cum in prima oratione Catil. §. 26 exclamet: ‚hic tu qua laetitia perfruere, quibus *gaudiis* exsultabis, quanta in voluptate bacchabere', ut Plautus Poen. 5, 4, 105 scripsit: ‚hac laetitia tanta et tantis me adfecistis *gau-*

diis', Terentius Ad. 5, 4, 22 ,miseriam omnem ego capio, hic potitur *gaudia*'.

Fieri non potuit, quin consuetudo illa ad medii aevi carmina propagaretur, et legitur re vera ,gaudia' exempli causa sexies in versibus ab Angelberto de Pippino Italiae rege exeunte saeculo octavo confectis. Mon. Germ. Poetae latini aevi Carolini rec. Dümmler I. p. 358—360.

Adde quod eodem vocabulo, quod, si recesseris a paucis locis, ubique numero plurali positum est, Christiani ab ineunte medio aevo compluribus formulis saepissime iteratis aeternam fidelium felicitatem, quae in Vulgata semper ,gaudium' sing. dicitur, exprimebant, quod ea gaudia multa, summa, perpetua esse credebant. Quae formulae cum saepissime repeterentur, ad id, ut vocabulum in femininum transiret, haud parvi erant momenti. Videamus pauca exempla e plurimis electa. Gregorius Magnus a. 593 in epistola ap. Bouquet 4, 12 scribit: ,ut vitam nostram ad sublimia aeternitatis *gaudia* extendat'. Saepissime medio aevo *gaudia* in donationum chartis legitur, ubi dicitur, eum qui aliquid donet beneficiis ecclesiae et monasteriis redditis ad gaudia aeterna se perventurum esse sperare. Velut in charta Dagoberti regis a. 632 Bouq. 4, 628 ,locrari *gaudia* sempiterna', in charta eiusdem ap. Pardess. 2, 279 a. 639 huic contrarium ,fugitiva *gaudia* lucrari', cf. Pard. 2, 274; utrumque junctum est Pard. 2, 544 a. 728 ,de *gaudiis* fugitivis lucrare aeterna'; ,ad aeterna *gaudia* pervenire' Pard. 2, 521 sq. ab anno 722 usque ad annum 745 saepius; ,*gaudia* caelestis patriae sempiterna' Mon. H. P. Ch. 1, 5 a. 628; ,intra domini magna *gaudia* tui' Epistola Hadriani I. Papae Bouq. 5, 412 D. Idem locus ex evangelio Matthaei accuratius citatur in Vita Athanasii episcopi Neapolitani Script. Long. 439, 22: ,intra in *gaudium* domini tui', ubi antecedit in linea 16: ,aeterna mercasse maxima *gaudia*'. In chartis quas collegit Pardessus, ex quibus complura pluralis exempla supra attuli, singularis frequenter de diversis huius saeculi rebus legitur, uno loco, si recte memini, 2, 344 a. 662 de gaudio caelesti. In Chronici Salernitani capite 117 ,*gaudia* patriae caelestis', 123 ,caelestia *gaudia*', undevicies in eodem ,gaudium' de rebus saecularibus. ,paradysi perduxit ad *gaudia*' versus Petri Grammatici exeunte saeculo 8. scripti Scr. Long. 17, 28; ,ad destruendam generis humani *gaudia*' et ,viva *gaudia* paradysi' inter se opposita

sunt in charta Italica a. 602 vel 603 Mon. H. P. 1, 2. Et si recte tradita est forma ‚destruendam', jam tum in eo erat, ut gaudia in femininum converteretur. In Esp. Sagr. exempli causa ‚aeterna *gaudia* pervenire' Donatio a. 1146 vol. 50 p. 406.

Adde, medii aevi scriptores eodem sensu alia saepe vocabula numero plurativo enuntiasse. Velut ‚opima remunerationis *praemia*' Mar. 10 a. 880; ‚aeternae retributionis *praemia*' Ch. Ebbonis a. 917 Bouq. 9, 73 A; ‚*praemia* regni caelestis' Heriger. Gest. Episc. Leodens. Mon. G. S. 7, 166, 26; ‚*praemia* aeternae pacis inveniant' Mon. H. P. Ch. 1, 800 a. 1151. — ‚mercare *caelestia* aeterna' Charta Chilperici II. a. 716 Bouq. 4, 690 B, Diploma Pippini a. 768 Bouq. 4, 709 D; ‚ad *caelestia* demigrante' Miracula S. Benedicti, Carolo Calvo rege composita, Bouq. 5, 382. — *caeli* Vulgata, Tertull., Arnob., Lactant., Cypr., alii Eccl., scriptores medii aevi saepissime, ortum ex versione vocabuli Hebraeici שָׁמַיִם. Apud veteres Romanos hunc pluralem rarissimum fuisse Neuius p. 415 et 541 comprobat. — ‚non eripit mortalia qui regna dat caelestia' Sedulius apud Méril 144; ‚*regna* paradysi possidebat mente' Greg. hist. Franc. 2, 2; ‚ad siderea regna translato' Vita S. Conwoionis abbatis Rotonens. Bouq. 7, 376; ‚in caelestia rigna' Ch. Theoderich. IV Francor. regis a. 723 Bouq. 4, 702 C; ‚ad regna caelestia migravit' Paul. hist. Long. 6, 6 etc.

Sed jam redeo ad veteres poetas Romanos, ut explicem, quantum faverint plurali substantivorum generis neutrius. Quod autem in vocabulis, quae commemorabo, nonnulla insunt, quae postea non ad genus femininum sunt detorta, id eo mihi videtur excusari posse, quia cum res ipsa satis digna est, quae illustretur, tum ea mihi afferenda sunt exempla, e quibus consuetudo illa poetarum optime perspiciatur. Et allatis supra iis, quae prisca aetate Ennius posuit, jam ea, quae e ceteris poetis excerpsi, enumerabo. Cum vero longum sit, omnes locos qui huc pertinent adscribere, eos eligam, unde pluralem metri causa poni solere facillime cognoscatur.

Ac primum quidem ea colligam neutra, quorum casus recti, nisi aut plurali posito, aut postrema syllaba elisa, versui heroico inseri non possunt. Ordior ab iis quibus ipsis dactylus expletur.

Nubila plurale tantum saepissime Lucr. Verg. Ov. Val. Fl. Auson.; quod de multitudine nubium dictum postremo ut nostrum

,gewölk' esse acceptum, ex vocabulo fem. italico ,nuvola' usitatiore quam ,nuvulo' masc. intellegitur. — Ap. Verg. Prop. Ov. *oscula* saepissime, ,osculum' nusquam legitur. — ,velis subit *ostia* plenis' Verg. Aen. 5, 281. adde Val. Fl. 2, 597. 5, 440. Chron. Nov. p. 68; Richer. 4, 35 de porta.

Ov. met. 14, 283: ,qua modo *pocula* parte Sumpta mihi fuerant, illa vestigia feci'; ,pocula prima' fast. 5, 512. adde heroid. 16 (17), 79. trist. 5, 3, 50. ,pocula' plurale tantum Verg. Tib. Prop. Ov. Val. Fl.

,Cape *praemia* vaccam' Ov. met. 5, 25. ,praemia' de una re 8, 502, alias. adde Verg. Aen. 11, 857. Lucan. 1, 358. ,praemia' saepe Lucr. Cat. Tib. Verg. Hor. Ov. Juv. Auson. poeta, ,praemium' iidem nusquam. — *proelia* Verg. Aen. 5, 467 de eodem duorum hominum certamine, quod v. 463 ,pugna' vocatur. adde Verg. A. 3, 240. 5, 375. sic nonnunquam Val. Fl. et Lucan. ,proelium' nusquam Verg. et Val. Fl.

Taedia, quae gaudiis sunt contraria, pluraliter saepe a poetis usurpari Neuius pag. 424 exemplis comprobavit.

Cum his jungenda sunt ea quibus ,ionicus a majore' continetur. Velut *convicia* Ov. saepe, sing. nusquam. — ,Lycaoniae *convivia* mensae' Ov. met. 1, 165. cf. fast. 6, 675. idem frequenter plur., sing. nusquam. *incendia* Ov. semper plur., cf. Lucan. 3, 501; ,inter flagrantis ignis incendia' Chron. Centulense Bouq. 3, 350 B. adde Richer. 1, 50. — *jejunia* saepe Ov.; ,jejunia' et ,jejunium' Tertull. De Jejunio nullo discrimine intercedente, illud multo saepius.

,In quae *miracula* verteris?' Ov. met. 3, 673 (sing. nunquam); Lucan. 4, 425. prisc. fr. ,miracle' comm. ,miracla' lusit. Diez Gramm. II³ p. 23. — *oblivia* Ov. decies. Val. Fl. 4, 536. cf. Verg. A. 6, 715. ,oblivium' hi nusquam scripserunt. — ,Agenorides Phoebi . . . oracula consulit' Ov. met. 3, 8.

Praeconia Ov. saepe, sing. nusquam. — *silentia* Verg. sexies. Ov. saepissime. Val. Fl. compluries. ,silentium' neque hic, neque illi. ,silentia' Calpurn. ecl. 2, 17. ,per silentia' Chron. Laurisham. anno 785. Chr. Novaliciense 21, saepe medio aevo. ,la silence' St. Bern. 52, Marot 4, 22. — *solacium* Verg. et Ov. nusquam, ,solacia' Ov. saepissime. Verg. A. 11, 60: ,mille viros qui . . . Intersint . . patris lacrimis solacia luctus Exigua ingentis, misero sed dēbĭtă patri', apud eundem saepius sensu plurativo ,solacia' legitur,

Rariora sunt ea, quae ante dactylum brevem habent syllabam, velut *Palatia*. Verg. georg. 1, 499: ‚Romănă Palatia'. adde Lucan. 3, 103; ‚in jus tuum palatia (i. e. imperium) ipsa se contulerant' Ennod. 265, 17.

Venio jam ad ea quae, quamquam singularis in versu heroico optime locum habere potest, tamen saepe numero plurativo enuntiantur, ut brevium augeatur syllabarum numerus. Atque initium faciam ab iis tertiae declinationis nominibus, quae integrum dactylum poetis suppeditant.

‚Haec in viridi nuper quae cortice fagi *Carmina* descripsi experiar' Verg. ecl. 5, 15 eodem sensu, quo ‚carmen' legitur in v. 45. ‚Carmina' saepe, velut ecl. 8, 68, de singulis magici cantus enuntiatis, vel, idque saepius fit in Aeneide, de prophetae responso dicitur. ‚carmina' de uno poemate legitur in Epistola Dynamii Bouquet 2, 537 E, atque etiam alibi saepius apud medii aevi scriptores.

‚Capricorni *corpora*' Cic. Aratea 91; ‚mea corpora' Tib. 4, 11, 2; ‚corpora nati' Ov. met. 8, 236, idem quod v. 234 ‚corpus' dicitur. adde Val. Fl. 2, 484. — ‚Permessi ad *flumina*' Verg. ecl. 6, 64. ‚Alphaea flumina' georg. 3, 180, ‚flumina' scl. Lethae Aen. 6, 711, saepius. Val. Fl. nonnullis locis.

‚Immitis rūptă tyranni (scl. Pluti) *Foedera*' de Orpheo Verg., qui ‚foedus' saepe utitur, georg. 4, 492. adde Aen. 8, 56. 540 etc. Val. Fl. et Lucan. frequenter. Rutilius Namat. 1, 126; ‚foedera conjugii' Gesta episc. Autissiod. Bouq. 5, 434 B; ‚pacis foedera quaerunt' Chron. de Alfons. VII. v. 292 Esp. Sagr. 21, 407. — ‚*frigora* longa' Ov. am. 2, 19, 22; ‚cum modo frigoribus premitur, modo solvitur aestu' Ov. art. am. 2, 317; ‚frigus' et ‚frigore' multo saepius. ‚frigora' Val. Fl. 1, 448. Sidon. ep. 1, 5. — *guttura* Luxorius Baehrens P. L. M. 4, 407.

‚*Limina* prima' Ov. her. 12, 150. adde rem. 786 etc.; idem ‚limen' saepe. ‚limina' sensu non postulante Val. Fl. et Lucan. compluries; ‚limina beati Petri' Ann. Alemann. Contin. a. 911 M. G. S. 1, 55; ‚ad limina sancti Vedasti' Ann. Ved. a. 895 p. 529 eadem formula saepissime medio aevo legitur.

Lumina, quo plerumque radiorum multitudo potest intellegi, ab Ennio usque ad Ausonium saepissime legitur. ‚Vesper Olympo exspectātă . . . lumina tollit' Cat. 62, 2; ‚lumina vitae' Verg. A. 6, 828; ‚accendit lumina Vesper' ge. 1, 251; ‚Titania lumina' Aus. ecl. 372.

‚Vitreo daturus *nomina* ponto' Hor. carm. 4, 2, 4; ‚nec quicquam antiquo Pico nisi nomina restant' Ov. met. 14, 396; ‚tŭā nomina' Val. Fl. 5, 480, cf. 4, 347. — ‚tŭā *numina* sōlā colant' Verg. ge. 1, 29. cf. Aen. 2, 233 etc., ‚numen' et ‚numine' frequenter. ‚Christi numina' Carmen militum Mutinensium circa a. 924 ap. Méril.

Pectora, ut paucos e singulis poetis locos colligam, posuit Verg. Aen. 1, 355: ‚trajēctăquĕ pectora ferro nudavit' de Sichaei imagine; 5, 816 ‚laētā deae .. pectora'; Ov. met. 5, 185: ‚pectora Lyncidae', adde 11, 411. Laus Pison. 161. 183. Lucan. 3, 587. 733. Val. Fl. 1, 79. 214; Sen. Epigr. Baehr. P. L. M. 4, 60 sq. Epist. Chlodomeri Bouq. 2, 536 D. ‚pectus' ubique saepissime. — *pignora* de uno puero Achille Stat. Ach. 1, 127.

Tempora (χρόνος) Verg. saepius quam ‚tempus'. Val. Fl. multo frequentius quam singularem, ‚tempore' abl. saepe, ‚temporibus' nusquam. Sed ‚tempora' in soluta quoque optimae aetatis oratione passim legitur. — ‚Per haec tempora' Paul. hist. Long. 3, 10, 11; ‚circa haec tempora' 6, 2. Erchemp. hist. Long. 11.

Vellera Val. Fl. saepissime, velut 1, 56. 61. 64. 88. 328 de Phrixi arietis pelle, ‚vellus' de eadem quater, ‚velleris' bis, ‚vellere' saepe, ‚velleribus' 8, 106. cf. hisp. ‚vedija' etc. Diez, Et. W. 496. — *vulnera* scl. Pyrami Ov. met. 4, 140, idem dicit, quod v. 120 ablativo ‚vulnere' significat.

Sequuntur ea quae longa cum brevi conjuncta syllaba constant. ‚*arva*, arvorum arvis' Verg. saepissime, velut ‚Laurēntĭā .. arva' Aen. 7, 661, ex singulari ‚arvo' bis.

‚Aeneadis indicere *bella* Latinus . . jubebatur' Verg. A. 7, 616. adde 10, 370. 12, 158; ‚bellum' saepe, ‚bella' eodem modo nonnullis locis Valerii Fl. et Lucani; ‚post bella leonis' scl. Nemaei Dracont. 4, 28. ‚tērtĭā bella' 4, 32. saepius medio aevo, velut Ann. Bened. Mon. Germ. Scr. 3, 181: ‚bella fecerunt in terra Anglorum et Saxonum'.

‚*Colla* colubri' Verg. ge. 3, 421. Aen. 2, 381; ‚colla' Aeneae v. 721 etc. ‚collum' semel, ‚collo' frequenter. ‚colla' de uno homine vel bestia Ov. met. 3, 422. 726, saepius. frequenter Lucan. Val. Fl. Nemesian. Baehr. P. L. M. IV. inde it. ‚collotola' fem. — ‚suspēctăquĕ *dona*'. Verg. A. 2, 36 de equo Trojano; ‚dona Minervae' de eodem 2, 189. ‚dona' de clypeo 8, 729, similiter 10, 882. ge. 4, 520. ‚dona' sensu plurali saepe, ‚donum' quinquies,

‚En iterum crūdēlĭă retro *fata* vocant' scl. Eurydicen Verg. ge. 4, 495. ‚fatis' 3, 17. 10, 380 etc., sing. multo rarius. ‚fata' Val. Fl. saepe, praecipue de mortis fato. — *festa* de uno festo, quod per complures dies plerumque celebratur, Ov. saepe, velut ‚Idaeae festa parentis' fast. 4, 182. adde 1, 393. 3, 713. ‚festum' eodem sensu idem non raro. Moneo singulorum festorum nomina propria plurativo numero poni solere. fr. ‚fête' fem. etc.

‚Dedit ingrato *fila* lĕgēndă viro' de Ariadna Ov. fast. 3, 462; ‚pro duce fila dedi' de eadem her. 10, 72. Animadvertas hoc loco pluralem ‚fila' cum singulari ‚duce' conjunctum esse, unde sequitur sententiam plurativam minime voluisse poetam exprimere. ‚fila' de fato idem saepius. Ov. ‚filum' multo rarius quam ‚fila'.

Jussa Verg. A. 10, 445. Ov. met. 2, 118. fast. 2, 609. ‚jussis' fast. 4, 226. Paul. hist. Long. 6, 11. Agnellus Scr. Long. 393, 13. Richer. 1, 61, saepius. — ‚Lērnaēăquĕ *monstra*' Sil. It. 2, 158. — *regna* p. 17 commemoravimus.

‚Aeolus *sceptra* tenens' Verg. A. 1, 57; ‚sceptra . . Prĭămēĭă' 7,252 idem significat, quod ‚sceptrum' v. 247. ‚sceptra' 7, 422 idem, quod ‚regnum' v. 424; ‚sceptris' 9, 265 etc. ‚sceptrum' Verg. quater, ‚sceptro' semel. ‚sceptra' et ‚sceptris' pro regno saepe Val. Fl., Dracont. 5, 170. scriptores medii aevi frequenter, velut ‚sceptra urbis' Frodoard. de Hadr. I papa Bouq. 5, 463 C.

Terga Verg., qui ‚tergum' saepe ponit, ge. 3, 80: ‚illi brevis alvus ŏbēsăquĕ terga' (non timeo, ne quis obiciat, hoc loco pluralem amplificandi causa esse positum). adde Aen. 9, 794. 12, 645; ‚equi terga' Ov. met. 14, 363. adde German. Arat. 1, 29. 4, 23. Val. Fl. 2, 460. 7, 651 etc. Lucan. 1, 230 etc. ‚terga vertens' scl. dux cum exercitu Fredegar. schol. chron. 2 Bouq. 2, 417. simili modo nonnunquam medio aevo.

vota (cf. quae de eodem vocabulo p. 27 commemorabimus) pluraliter multo saepius poetae quam singulariter. Ov. fast. 4, 395. met. 4, 373.

Mella Neuius pag. 409, plurimis exemplis allatis, de magna mellis multitudine poni contendit. Sed nego poetas semper id quod Neuius censet exprimere voluisse. Quod si sumimus, nullo modo potest intellegi, qua de causa Vergilius et Horatius casus rectos eius vocabuli pluraliter tantum, casus obliquos singulariter tantum posuerint.

Ora scl. Sychaei Verg. A. 1, 354. adde 1, 658. 2, 247. 663 etc.; ‚pueri rubor ora notavit‘ Ov. met. 4, 329; ‚tua ora‘ Laus Pisonis 55. saepe Lucan. et Val. Fl. ‚carae conjugis ora‘ Sil. It. 9, 131. Calpurn. ecl. 6, 36. Baehr. P. L. M. IV saepius. Dracont. ed. de Duhn 5, 260. 6, 95 etc. Ps. Fulgent. serm. 20 col. 886 a.

Denique neutrorum, quae aut ante trochaeum unam vel duas syllabas habent, aut solis syllabis brevibus constant, pauca mihi sunt commemoranda. ‚Credisne patrem *prōmīssă* daturum‘ scl. vellus arietis Colchici Val. Fl. 6, 675. ‚promissa reposcere‘ de eodem 7, 650. (fr. ‚la promesse‘) — ‚sagitta per caput Remuli venit . . . . i, verbis virtutem illude superbis. Bis capti Phryges haec Rutulis *rēspōnsă* remittunt. Hoc tantum Ascanius‘ Verg. A. 9, 635. adde 7, 102. 12, 111. Claudian. 3. consul. Stilich. 104. Paul. hist. Long. 2, 5. Joh. chron. Ven. 5, 4. (fr. ‚la réponse‘). — ‚Minotaurus . . Veneris *mŏnĭmēntă* nefandae‘ Verg. A. 6, 26.

‚Adductis spumant *frĕtă* vērsă lacertis‘ Verg. A. 5, 141. Val. Fl. 8, 219. 347. — *mărĭă*, syllaba postrema elisa, frequenter. Verg. A. 3, 70 idem significat, quod ‚altum‘ in eodem versu. 5, 212 idem, quod ibi ‚pelago‘. 10, 197 idem, quod ‚pelago‘ v. 165. Val. Fl. 4, 644 etc.; ‚maria‘ Agnell. Scr. Long. 364, 37.

Duorum igitur praecipue generum vocabula plurativo numero enuntiata saepe repperimus; alterum est corporis membrorum, velut ‚colla, guttura, ora, pectora, terga‘, quorum similitudinem vox ipsa generalis ‚corpora‘ secuta est, alterum nominum, quae ex participiis orta ad loquendum pertinent, velut ‚jussa, promissa, responsa, vota‘.

His quae enumeravi exemplis, quibus alia addere facillimum est, satis mihi videor comprobasse, poetas saepissime sola metri necessitate coactos neutra plurativo numero usurpavisse. Quod Draegerus (I. §. 5) eo plurali substantivorum concretorum plerumque rem ex compluribus partibus constantem aut dignitate auctam et amplificatam significari putat, hoc nullo modo mihi videtur comprobari posse. Atque ille quidem §. 5, 5 sub nomine pluralis amplificativi ea comprehendit, quae certis vocabulorum ordinibus attribuere non potuit. Si vero ‚ad incitas‘, quod plurativo numero ubique enuntiatur, omittimus, omnibus iis quos enumerat locis praeter Ov. met. 4, 591. fast. 3, 620. Sil. 1, 110. [Verg. Aen. 5, 359], ubi pluralis suo sensu positus

est, si singularis ponitur, versus iisdem vocabulis servatis absolvi non potest. Accedit quod mihi quidem his locis, ab illo citatis, amplificatio cum sententia non videtur convenire: Ov. met. 14, 396: ‚Nec quidquam antiquum Pico, nisi *nomina* restant'; Hor. carm. 4, 2, 4: ‚vitreo daturus *Nomina* ponto'. Ac ne id quidem mihi potest persuaderi, Vergilium, cum dicit ‚Aeolus *sceptra* tenens' singulas sceptri partes in mente habuisse, quod a divino illo poetae spiritu longe videtur abhorrere.

Maxime autem quod equidem contendi eo mihi videtur comprobari, quod poetae nonnulla vocabula semper plurali, quodque pro metri facilitate alium alio numero casum posuerunt, deinde quod in versibus propinquis frequenter hic singulari, illic plurali usi sunt non modo de eadem re, sed etiam in eodem vocabulo. Quibus locis si hic singularem, illic pluralem suo proprio esse sensu putamus, minor est eius quam poeta nobis ante oculos ponere studuit imaginis perspicuitas et concinnitas. Ac cum ipse Ovidius, summus ille cum hexametri, tum versus elegiaci componendi artifex, eo plurali saepissime sit usus cumque nullus poeta Latinus illam consuetudinem vitaverit, nisi talibus adhibitis auxiliis majus carmen, quae erat linguae indoles, compingi omnino non potuisse quis infitias ibit?

Haud ignoro, illum usum non ad sola neutra pertinere, sed cum in ceteris vocabulis nihil valeat ad genus commutandum perpauca attingam exempla. Velut Verg. Aen. 7, 552 dicit ‚*terrorum* et fraudis abunde est'. v. 619 ‚*umbris*'. Ov. met. 1, 5 (‚ante mare et *terras* et quod agit omnia caelum'), cf. v. 132. 195. 307. 329. 674, plurali ‚terras' eodem sensu utitur, quo in v. 34 et 180, ubi propter metrum fieri potuit, singulari. Ov. met. 1, 181 ‚talibus inde *modis*', cf. ‚miris modis' apud comicos. Vocabulum ‚*thalami*', quod praeter ceteros poetas Graecos Euripides haud ita multis locis plurativo numero enuntiavit, velut Hec. 918. Iphig. Taur. 209. 254, poetae Latini saepissime pluraliter posuerunt. Velut ‚*thălămōs* novercae' Verg. A. 10, 389. 649. ‚thalamis' 7, 97, ubi v. 96 antecedit eodem sensu ‚conubiis'. ‚thalamos' Val. Fl. 1, 131. 226. 6, 45. ‚thalamis' 1, 709. 2, 147, saepius. ‚in thalamos tuos' Germ. Arat. 323.

Ex contrario singulari multo rarius poetae metri causa pro plurali usi sunt, velut Ovidius saepius *littera* pro ‚lit-

terae' posuit, cf. quae praeterea attulit Koen. pag. 41 et 48. adde Ov. met. 1, 408: ,*volucris* vaga decidit alis'.

Si nomen duorum erat generum, poetas id elegisse, quod cum metro facilius conveniret, ex multis exemplis a Neuio collectis dilucide apparet.

Restat ut pluralem praecipue neutrorum medio aevo saepe sententia non exigente esse usurpatum, paucis exemplis clarius illustrem, quam iis, quae supra passim inserui, fieri potuit. Et apud veteres oratores Latinos ubi pluralis abstractorum legitur plerumque non sine certa eum causa positum esse constat, si ea quae pluralia tantum usurpantur omittimus [1]). Quin etiam scriptores ecclesiastici, qui perspicuitati praeter cetera operam darent, numeros rarissime inter se miscuerunt.

Sed videamus ipsa exempla. ,In *votis* suis hoc est nuptiis' Ambros. serm. 35. ,Vota' saepius de maximo illo voto sponsi et sponsae (fr. ,le grand oui') locis, ubi de uxore sola agitur, velut Cod. Just. 1, 2. 5, 9, 4. cf. Apul. met. 4, 26; ,vota' Lex Burg. cf. Diez, Et. W. 2, 104. ,dies votorum' Lex Long. 2, 4, 3. 14, 21, similiter saepius medio aevo; hoc sensu semper pluraliter videtur positum. Inde hisp. ,boda' de nuptiis (,voto' diversa significatione in eadem lingua).

alta, quod saepe poetae Latini, velut Verg. usurpant, Gregorius hist. Fr. 10, 9. — ,in *concupiscentiis*' idem 7, 1. — ,conveniant ad *būstă* Nini' exempli causa Ov. met. 4, 88. ,bustis' Epitaph. a. 585 ap. Paul. hist. Long. 3, 11. ,busta' Agnell. 103. 135 in versibus. — ,cum omnibus *justiciis*' (i. e. privilegiis) Capit. Dagobert. I a. 630. ,de justiciis ecclesiarum' Cap. Car. a. 805 n. 2, ,de justiciis regalibus' 3; saepius. *beneficia* Chron. Nov. App. 5 p. 92. — ,*cervicalia* lecti' Saxo Poeta M. G. S. 1, 271 v. 255. — ,super *capita*', ut nos in lingua vernacula ,zu häupten' dicimus, Agnell. 115 extr.

fundamenta saepe scriptores aetatis classicae. ,lātă . . . *fūndāmēntă*' Verg. A. 1, 427. ,templum cujus fundamenta jeci' Ch. franc. a. 508 Marini 95. ,ecclesia quam ipsa a fundamentis aedificavit' Auctor De Liutpr. rege Scr. Long. 11, 37. sic de

1) Plinius tamen in nat. hist. et Pomponius Mela saepius pluralia, sensu non postulante, posuerunt. Velut Plinius ,maria' 4 §. 97. 118 etc. ,litora' 7, 155. Mela ,maria 1, 2, 13 etc. ,litora' 2, 4, 62 etc. ,terras' 2, 6, 91. ,nubila' 3, 10, 101. ,frigora' 2, 2, 16 etc.

uno aedificio ‚a fundamentis' bis Mon. Ven. Doc. 2, 29 a. 874. ‚a fundamenta' p. 23 a. 853. ‚fundamenta domus incepit' Ann. Corb. M. G. S. 3, 17, 52. eodem modo saepius Agnell., Chron. Alt., multi medii aevi scriptores. Inde it. plur. fem. ‚fondamenta'. prisc. hisp. et lus. ‚fondamenta'. —

patrocinia Chron. Alt. p. 25, 8 etc. ‚praebuit *sacramenta*' saepissime tanquam formula sollemnis in chartis saeculi sexti ap. Marini. — *sollemnia*, praecipue ‚sollemnia missarum' saepissime a saeculo septimo Mon. G. S. I, alias. Vit. S. Galli circa a. 759 M. G. S. 2, 14, 4; ‚sollemniis' Uson. de Mirac., qui medio nono saeculo scripsit, M. G. S. 2, 51, 2, 9. Charta Abbat. Turon. a. 895 Bouq. 9, 708. saepius iisdem temporibus. — *sepulcra* versus a. 606 et 708 ap. Agnell. 103. 135. — ‚a *dorsa*' Chron. Nov. 3, 14. — Quanta fuerit numerorum confusio, eo intellegimus, quod Richerus, qui satis dilucido et puro utatur dicendi genere, eam fugere non potuit. Qui *doli* saepe praebet, *concepta* semel. *conficta* 4, 73. *interdicta* 2, 76 etc. *suffragia* 4, 12.

Denique nonnulla adjectiva localia, quae absolute ac pluraliter ponebantur, commemorabo, quia inde complura in linguis Romanicis feminina facta sunt. Hoc eo facilius potuit fieri, primum quod, ut de locorum multitudine dicebantur, ita sub una regionis notione comprehendebantur, deinde quia ‚terra' non minus quam ‚loca' subaudita bene cum illis in casibus rectis positis congruit. Quamquam mihi non aliter quam Ottio ‚loca' ad ea videtur supplendum non esse, sed, quae est generis neutrius natura, substantivi loco posita, eodem modo ac nos in lingua Germanica singulari adjectivorum neutrorum, conjuncto quoque cum genetivo, pro substantivo uti solemus. De eorum adjectivorum usu apud scriptores Latinos vide Draeger. Hist. Synt. 1 §. 20, de iisdem cum genetivo conjunctis §. 199, 4. Equidem inde pauca sumam, ex quibus feminina in linguis recentioribus sunt orta, nonnullis, quae mihi praesto sunt, additis.

Draegero igitur diserte erat dicendum et pluribus exemplis, quam (I^2 pag. 453) attulit, illustrandum, eam consuetudinem, quae, praesertim genetivo partitivo accedente, satis poeticam habet speciem, Vergilii imprimis auctoritate ad rerum scriptores argenteae Latinitatis, qui poeseos ornamenta minime aspernantur, pervenisse. Hanc structuram, quae optime cum metro dactylico convenit, a poetis ortam esse jam Koenius

pag. 62 comprobavit, qui ex Ennio ,caerula campi' et ,infera noctis' attulit. Lucilius ,prima' et ,strata' ita posuit.

Lucretius haec imprimis: ,terrai *abdita*' 6, 809. ,*ardua* dum metuunt amittunt *vera* viai' 1, 659. ,*culta* ac *deserta*' 1, 164. ,in deserta' 2, 1102. ,*detrita* viarum' 1, 315. ,per *opaca* domorum' 2, 115. ,caelique *serena*' 2, 1100. ,*strata* viarum' 4, 415.

Vergilius, cuius auctoritas in omnibus rebus plurimum apud Livium, Tacitum, plerosque posteriorum temporum scriptores valebat, ut nonnulla afferam, dixit: ,Parnasi deserta per *ardua*' ge. 3, 291. ,ardua terrarum et campi' Aen. 5, 695. — ,*avia*' Aen. 2, 736. — ,Libyae *deserta*' Aen. 1, 384. ,deserta' ecl. 6, 80. — ,*opaca* locorum' Aen. 2, 725. ,opaca viarum' 6, 633. — ,*secreta* senis' ge. 4, 403. ,secreta sibyllae, antrum immane' Aen. 6, 10. ,Aeneae sedem et secreta' de uno loco Aen. 8, 463. — ,*summa* Lycaei' 3,314. Valerius Fl. Vergilium imitans: ,*ardua* montis, *avia*, *devia*' etc.

Denique per totum medium aevum usque ad saeculum duodecimum, quod mihi finis erat perscrutandi, haud raro eiusmodi neutra adjectiva et cum genetivo conjuncta et absoluta leguntur. Velut ,abdita, abrupta'; ,inter vallium arcta' Greg. hist. Fr. 10, 8; ,deserta, devexa, devia, finitima, invia'; ,per litoralia' Paul. hist. Long. 5, 6 Scr. Long. 146, 17; ,per litoraria' Gesta episc. Neapol. Scr. Long. 417, 27; ,opaca' Chron. Nov. p. 20 in versu; ,ad propria redire' Greg. 10, 3. 9. saepius medio aevo ,ad propria' cum verbo redeundi conjunctum. ,ad propriam reversus est sedem' Agnell. 76. ,gens ad propriam regressa est' Joh. chron. Venet. Scr. Long. 18, 31. 19, 33. ,ad propriam redire' 32, 18 a. 998. 33, 28 a. 1000. quibus locis aliquod vocabulum, velut ,sedes' vel ,arva', quae saepissime medio aevo in similibus formulis leguntur, supplendum est; ,secreta'; ,vallestria agrorum sicut et campestria dicuntur' Beda de orth. 294, 9.

Restat ut paulo accuratius de illis ex eo numero agam, quae in linguis Romanicis feminina facta sunt. ,In *maritimis* sum' Cic. ad fam. 2, 16. ,maritima Aetoliae' Liv. 38, 7. ,maritima' Plin. 2, 82, 2. ,Africae maritima' 6, 39, 2. adde 8, 13, 1. ,in maritimis' Flor. 4, 18. ,maritima' saepius Vulg. Mon. Hist. P. Ch. 1, 81 a. 895, saepius. ,duco usque ad maritima'. ,ad maritima remeavi' Hist. miscella 23, 6. ,per maritima

Macedoniae‘ 23, 19. ‚Judaeus oriundus ex Laodicea maritimae Phoenicis maleficus‘ 23, 17. it. ‚maremma‘. prisc. fr. ‚marenne‘.

‚planum‘ Sall. Jug. 49. Liv. 9, 26. ‚Italiae *plana* ac mollia‘ Sall. hist. 4, 17. plana Liv. et Tac. Flor. 3, 5. Plin. 6, 29. **Vulg.** Job 4, 13. ‚montibus et planis‘ Mon. H. P. Ch. 1, 183, saepius. ‚in planis locis‘ Andr. Bergam. 10. ‚montibus et planis‘ M. H. P. Ch. 1, 183 a. 959 etc. ‚silvis in plana redactis‘ Greg. Turon. vita S. Sulpicii Bouq. 1, 648 A. ‚de plana‘ Charta c. a. 1215 ap. Cang. fr. ‚la plaine‘. it. ‚piana‘. hisp. ‚plana‘.

campestria Sen. ben. 6, 31, 3. ‚campestrium‘ Tac. Ger. 43, alii. ‚per campestria‘ Vulg. frequenter, cf. Roensch It. u. Vulg. p. 102. ‚in campestria castra posuerunt‘, Greg. hist. Fr. 10, 3. ‚ut ad plana et campestria descenderent‘ Erchemp. 24. ‚campestria loca‘ Grom. 401, 16; ‚in *campaniis*‘ Innoc. Grom. 332, 22, idem ‚in campaniis locis‘ bis. ‚campania‘ fem. Greg. Tur. etc. it. ‚campagna‘ etc.

‚Agri montani‘ Varro de r. r. ‚*montuosa* loca‘ vel ‚regio‘ Cic. ter. ‚locis montuosis‘ Frontin. ‚loca montuosa‘, ‚in locis montuosis‘ Veget. ‚in Ciliciae montuosis‘ Plin. nat. hist. 11, 280, qui ‚montuosa‘ multo saepius posuit quam ‚montana‘. *montana* idem 6, 93. ‚in montanis‘ 6, 70. Apud Livium 21, 34 ‚montanos‘ optimis libris manuscriptis traditum est, ‚montana‘ est prava lectio quorundam codicum, ex Drakenborchii editione in De Vitii et Georgii lexica et in Draegeri Syntaxin propagata; hic enim pag. 50 ‚montana‘ inter ea adjectiva enumerat, quibus historici absolute utuntur, quamquam apud nullum rerum scriptorem ‚montana‘ legere memini. In Vulgata saepe ‚montana‘ nom. et acc. et ‚in montanis‘ eodem sensu dicitur, quo rarius ‚montes‘, ‚montuosa‘ cum substantivis conjunctum raro. ‚montana et maritima‘ Mon. H. P. Ch. 1, 81 a. 895. 88 a. 896. saepius medio aevo, cf. Cang. ‚montana‘ Rycard. p. 6 bis, saepe, ‚montana loca‘ semel. ‚Johannes de montanea‘ M. H. P. Ch. 1, 3 a. 602 ter, idem nomen 1, 235 a. 972. ‚per omnia montanea‘ 1, 513 a. 1037. ‚juxta montania‘ Monum. Rav. 75 in scripto inter septimum et decimum saeculum composito. ‚in montagna‘ Ch. a. 906. Mon. Ven. Doc. 2, 39. it. ‚montagna‘ etc.

‚sub *concavis* terrae‘ Lactant. ‚concava‘ Claudian. ‚concava vallium‘ Chron. S. Michaelis c. a. 1040 M. G. S. 4, 80, 1, 13. inde derivatum prisci Romanici ‚comba‘ de valle profunda dixerunt. cf. Diez, Rom. Wortschoepf. 10.

Sed haec quidem hactenus; nunc demonstrabimus generis

et terminationis discrepantiam tolli solere. Omnino jam in prisca Latinitate fieri non potuit, quin genus maxime in earum terminationum, quibus diversi generis vocabula insignia erant, substantivis non variaretur, cf. de substantivis in ‚is' Neu. p. 671 sq. Contra ubicumque multo major numerus vocabulorum in eandem terminationem exeuntium uni erat generi attributus, ut hoc cum illa quasi conjunctum esset et copulatum, pauca vocabula, quae genere differebant, ei, quo major numerus praeditus erat, generi accommodata sunt. Velut arborum nomina in ‚us' exeuntia in linguis Romanicis masculina exstant. Ad quod terminationem cum diverso modo res cogitandi conjunctam plus valuisse, quam usum illum scriptorum vetustissimorum, quem p. 5 commemoravi, inde efficitur, quod consuetudinem illam sermone vulgari continuatam esse, quamvis non improbabile sit, certis exemplis confirmari non potest. Haec enim prima post illa priscae Latinitatis mihi nota sunt exempla: *ulmus* masc. initio tertii p. Ch. n. saeculi Gargilius de cura boum 10, *alnus* Compend. Vitr. de div. fabr. archit. 297, 20 R. *populi albi* Veget. 5, 67, 5. — Quid? quod *papa* et *propheta* a priscis Francogallis nonnunquam feminina ponuntur?

Saepissime autem jam prisca aetate vocabula ex aliis, praecipue ex Graeca lingua sumpta ei, quo vocabula eodem modo exeuntia a Latinis usurpabantur, generi accommodata sunt. Velut fluminum nomina primae declinationis, quorum stirps in ‚a' desinit, a Latinis saepe in feminina sunt conversa. Velut *Trebia,* quo masculino Plin. et Silius utuntur, femininum Manilius ponit, *Druentia* masc. Sil., fem. Auson., *Himera* masc. Mela, fem. Sil., *Garumna* masc. Tib., Mela, alii, ut Strabo *ὁ Γαρούνας* dicit, fem. Auson. bis. Eadem recentioribus populis plerumque feminina sunt. Nonnulla fluminum nomina, non a Graecis deprompta, modo, ut significatio exigit, masculina, modo, ut exitus postulat, feminina sunt. Velut *Albula* masc. et fem. Ov. et Mart., *Mosella* masc. et fem. Aus., fem. Venant. Fortunat. cf. Neuium p. 640 et 641.

Deinde eodem modo, quo flumina illa, alia vocabula Graeca in as vel es desinentia genus femininum induta sunt, velut *charta* inde ab Ennio (ann. 229. it. ‚carta'. fr. ‚charte.' cf. Weise 379.), *gausape* inde a Lucilio (20, 1 M.), *margarita* inde a Varrone legitur. Eadem de causa in lingua Francogallorum *comète*, *planète*, *pyrite* feminina sunt, quamquam

nescio an ob id priora illa feminina concepta sint, quod subaudiri poterat vocabulum stellae. ‚stella cometis' (‚stella cometes' jam Justinus dixit), saepius legimus in medii aevi annalibus, velut Ann. Alam. cont. a. 868 M. G. S. 1, 51, ‚cometa' substantivum fem. in eiusdem aetatis annalibus frequenter, velut in Ann. Augiens. a. 868 M. G. S. I. (cf. Weise 389).

Accedit quod nonnulla secundae declinationis feminina in us imprimis Graeca speciem terminationis secuta in masculina transierunt, cf. quae supra de arboribus dixi. Sic *diametros* Vitr. bis fem., ter masc., fr. ‚le diamètre'; ἡ ἀντίδοτος, τὸ ἀντίδοτον. *antidotus* fem. Gellius, Scribon., Caper. ‚antidotum' Cels. (Weise p. 343). ‚antidotus' masc. Oribas. fr. ‚un antidote'; *centunculus* Plinius et significatione adductus, cum planta esset, fem. et terminationem secutus masc. ponit; *amethystus* fem. Ov., alii, cf. Weise 334. masc. Isid. fr. ‚une améthyste'. it. ‚amatista'. germ. masc.; *sapphirus* graec. fem. Plin., masc. Is. it. ‚zaffiro'. fr. ‚le saphir'; *eremus* graec. fem. ‚erema' neutr. Tert. de idol. 5 etc., quod eodem referendum est, quo ‚ardua' etc. cf. p. 28 sq., Cod. Just. 1, 57, 4. ‚heremus' masc. Vita S. Galli 5, 39, saepius. it. ‚ermo'. hisp. ‚yermo'. prov. pr. fr. ‚erme'; *synodus* fem. graec. Amm. etc. ‚synodus' masc. Ann. Lauresham. a. 794 et 802 Mon. G. S. I. masc. saepius medio aevo, velut Ann. Corbeiens. a. 992; ‚synodo sacro' Mon. Ven. Doc. 2, 71 a. 964. prov. ‚seune' masc., fr. nostra aetate ‚le synode'. Ita a Francogallis *atomus, dialectus* (it. ‚dialetto'), *paragraphus, vannus,* (ut nos dicimus ‚der dialekt, der paragraph') ad masculinum genus detorta sunt.

‚Polypus, raphanus' (cf. Weise 507), ‚crystallus', quae Neuius commemorat, omitto, quia jam Graecis et masculina et feminina sunt. Tum *gummi* et *sinapi* neutra graeca ad similitudinem majoris numeri vocabulorum a stirpibus in ‚i' fictorum in feminina sunt conversa. Eadem de causa de eo quod est κάρα derivata Romanicis feminina sunt. cf. Diez. E. W.[4] 87. Plurima neutra in ‚ma', multa pluralia Graeca de urbibus dicta jam prisca aetate ad femininum genus deflexa esse, ex indice cognoscas. E vocabulis vere Latinis imprimis hoc loco *hiems* memorandum est, quod, cum cetera nomina, quorum stirps in ‚m' desinit, masculina essent, medio aevo in masculinum mutatum est, velut ‚hiemps grandis et durus' exhibent Ann. Nazariani, extremo saeculo octavo conscripti, Mon. G. S. I, ‚hiemps magnus' Ann. Ratisp.

maj. a. 823 p. 93, ‚hyems validus' Ann. Colon. breviss. a. 860. Quamquam id eo paululum videtur adjutum esse, quod anni tempora a Germanis masculina vocabantur.

Exitus sonum medii aevi homines in genere vocabulorum eligendo secutos esse, ex hoc exemplo clarissime perspicitur: Cum *organa* primum Germanis innotescerent, haec in annalibus sunt scripta: ‚venit organa in Franciam' in Ann. Alam. et Nazaren. M. G. S. 1, 28. 29, in Ann. Sang. maj. a. 757 pag. 74, Ann. Francisc. brev. Bouq. 5, 10 D, Ann. Petavian. 13 B, Ann. Sang. brev. 359 D; ‚venit organus in Francia' Ann. Lauresham. M. G. S. I, a. 757; ‚organa missa sunt' Chron. Lamberti Schafnaburg. (circa a. 1077) Bouq. 5, 367 B; ‚organum' Marini Scoti chron., paulo ante saeculum duodecimum compositum, Bouq. 5, 368 B. Videmus igitur nomen, cum primum cum ipsa re ad Francos perveniret, femininum esse ductum, postea ab hominibus doctis primitivum Latinum sive potius Graecum genus esse restitutum. Sed femininum illud tam firme cum populari consuetudine dicendi coaluit, ut nos ‚die orgel' dicamus, Francogalli in plurali ‚orgues' fem., cf. Littré. Riemann, Allg. Musikal. Zeitung 1879 Nr. 4 (sing. ‚orgue' masc. — ‚organe' fem. prisc. fr. cf. Darmesteter p. 250.).

Denique ad id, ut Longobardi inde a saeculo septimo a masculinis in ‚us' pluralem in ‚ora' et ‚oras' fingerent, neutra tertiae in ‚us' velut ‚latus, litus, pectus, pecus, pignus', a quibus etiam accusativi in ‚oras' medio aevo leguntur, nonnihil contulerunt.

Ad id, ut ‚promissa, clausa, responsa, gesta, finita, reddita, explicita' genus femininum induerentur, magni fuit momenti, quod multa Latina feminina in ‚sa' exibant, quorum numerum ab Ecclesiasticis maxime auctum esse ex Roenschio cognoscimus. E multis pauca eligam. ‚Impensa' primus Verg. ‚defensa' Tert. ‚extensa, plecta' Itala. ‚missa' Cod. Theod. ‚caesa' Veget. ‚expensa' Pandect. Claudian. ‚torta' Vulgat. ‚accessa' Serv. ‚offensa' Gregor. ‚incisa' Charta Itala a. 999. ‚electa' Ann. Curb. a. 1147.

Neque minus abstracta in ‚entia' magni erant momenti ad id, ut nomina concreta velut ‚adjacentia, pertinentia, sequentia' ad femininum genus detorquerentur. Quae feminina in ‚entia' postremis linguae Latinae temporibus valde sunt aucta, velut ‚candentia' primus Vitr. ‚obticentia' Cels. ‚resistentia' Augustin,

‚obtinentia' Priscian. ‚sustinentia' Vulg. ‚aientia' Martian. Cap. ‚praecedentia' Cassiodor. ‚carentia' Boëth. ‚audientia' Ennod. ‚exstantia' Beda. ‚subsidentia' idem. ‚adstantia' Gloss. ap. Forc. ‚vicantia' Ch. ital. a. 1190. ‚credentia' Ch. ital. a. 1194.

Si tanta est vel exitus vocabulorum vis, fieri non potuit, quin vocabula simplicia ad genus compositorum plurimum valerent. Itaque ex eo quod est ‚pervigilium' *pervigilia* apud Justinum, ex ‚sesquiopus' *sesquiopera* ap. Colum., ex ‚trinundinum' *trinundinae* in Gloss. Papiae ad similitudinem ‚vigiliae, nundinae, operae' facta sunt. Similem in modum ex eo quod est ‚obsequium' significatione mutata ad ‚exsequiae' similitudinem *obsequiae*, ex ‚vertibulum', quasi diminutivum a ‚vertebra' esset, *vertibula*, ex ‚fuga' ad exemplum compositorum ‚confugium' et ‚perfugium' *fugium* factum est, nisi hoc a grammaticis quasi vocabulum primitivum ad illorum derivatorum exemplum fictum est. Denique vocabulorum primitivorum genere mutato deminutiva quasi formae denuo derivatae alio usurpata sunt genere. Velut pro ‚reticulum' *reticulus* inde a Varrone, *reticula* in Glossis legitur.

Rarius contrarium in modum generis et terminationis differentia ita compensata est, ut haec illi accommodaretur. Sic pro *χάρται* *charti* apud Lucilium (sat. 27, 46), pro ‚tructa' (*τρώκτης*) *tructus* posteriore aetate (cf. Georg., Weise 540), pro ‚bussequa' *bussequus* Mai thes. n. Lat. p. 80, pro ‚cometes' *cometus* ap. Diefenb. scriptum invenitur. Ut haec e prima declinatione ad alteram transierunt, sic pauca a Graecis arrepta secundae declinationis feminina, si vocabula Graeca esse etiamtum sentiebatur, secunda, si civitate quasi Romana donabantur, prima declinatione flexa sunt. Velut ‚canephoros' Cic. bis, Plin., *canephoram* Plin. 34, 70, ‚canifera, caniferae' Paul. Fest. 65, 6. cf. Weise 368; ‚cernophoros' et *cernophora* Inscr. Neap. 3144, Orelli 5840. cf. Weise 376. Adde quod nonnulla tertiae declinationis nomina ad secundam nonnunquam sunt deflexa, quo facilius genus eorum agnosceretur. Eo pertinent: ‚duos *ordinos*' Ch. Ordon. II regis Legion. a. 992 Esp. S. 14, 370, complura in pag. 11—13. Sic pro ‚diploma', quod legitur inde a Cicerone, *diplomum* Wilm. Ex. Inscr. 2858, 13.

III.

Significatio quid valuerit ad genus mutandum.

Ut formae plurimum contulerunt ad genera constituenda, ita significationis aliquam fuisse vim viri docti verisimiliter videntur coniecisse, propterea quod cum in omnibus rebus humanis, tum in lingua multum rationi est tribuendum. Jam prisci Romani, si duo erant eiusdem stirpis substantivorum formae, nonnunquam his ad significationis differentiam exprimendam usi sunt. Imprimis arbores et ligna inde sumpta plerumque ita distinguebantur, ut illae feminino genere in ‚us', haec neutro in ‚um' desinerent, cf. Neu. 530. Deinde *vallus* et *vallum* apud plurimos auctores inter se differunt, quamquam Caesar compluries masculinum pro neutro ponit, cf. indicem s. v. ‚vallum'. Et ‚vallus' quidem de uno palo ad muniendum apto, ‚vallum' sensu collectivo de munimento ex multis palis constante dicebatur; e contrario *pilus* masculino genere de cohorte ex singulis pilis, sive potius hominibus pilis armatis constante. Inspicias exempli causa indicem de iis quae sunt *scrupulus* et *scrupulum* ct de eo quod est *cancer* masc. et neutr. Si ad linguas recentiores spectamus, saepissime genera diversa ad subtilissimas distinctiones designandas optime usurpari videmus.

Ac primo hanc distinctionem clariorem fieri in epicoenis hominum et brutorum animalium appellativis, genere naturali postulante, necesse erat. Pauca colligam vocabula, quae, primo epicoena, postea in masculinum et femininum separata sunt. *Lupus* de femina Naevius in fabulae titulo (‚Romulus sive Lupus'), ‚lupus femina' Ennius, Fabius Pictor, Varro. ‚lupa' Liv. etc. fr. ‚le loup, la louve'. *Porcus* fem. gen. Cato ac Cic. ‚porcus' de femina Cic. Liv., alii. ‚*porca* caesa' Verg. cf. Neu. 617. Inde it. ‚porco, porca'. Id quod est *aper* et de maribus et de feminis usurpari Varro commemorat, et legitur ‚aper' de feminis apud Phaedr. Val. Max. Petr. etc. *apra* Plin. Sec. ap. Prisc. H. 1, 233, cf. Neue 610. *Lepus* primo masc. etiam de feminis parientibus vel concipientibus, fem. Hor. serm. 2, 4, 44. cf. Neu. 614. *caballus* masc. *caballa* de muliere Anthol. L. II, 268 epigr. 186. Ea igitur sola animalia primo genere grammatico sunt distincta, quorum genus naturale ut discernerent, homines aut tota specie bestiae et indole adducerentur aut usu cotidiano et sua utilitate cogerentur.

Eodem modo de hominibus dicta nomina verbalia in ‚sor' et ‚tor' per multa saecula epicoena sunt usurpata, postea ut genus muliebre clare distingueretur, vocabula in ‚trix' ficta, cf. Neue 606 et 607.

Pauca neutra Latina, de hominibus vel bestiis dicta, postea in masculina et feminina separata sunt. Sic ex *mancipium* ‚mancipius' in Capit. c. a. 570. ‚mancipia' in Praecepto a. 856, ex *jumentum* ‚jumenta' in Itala (fr. ‚jument' fem.) et ‚jumentus' facta sunt; animadvertas, servos, quos Latini, quasi homines non essent, neutro genere designaverunt, jam initio medii aevi suo quemque genere esse appellatos.

Conjungo cum his alia, quae de certis personis dicta, cum significatione diversa genus grammaticum naturali respondens acceperunt. Velut *Fatabus* de Parcis C. J. 5, 4209. 5799, *plaustra* de Arcto fem. ap. Sidon. carm. 5, 282. de ‚prostibula' et ‚scorta' cf. indic. s. v. Eodem modo pauca abstracta, ad homines translata, virili sunt genere usurpata. *barbas* de patruo Gloss. Long. (770), ‚barba' M. H. P. Ch. 1, 269 a. 984 etc. ‚barbanus' saepe Chron. Andr. Bergam. Lex Roth. 164. in prisca lingua Francogallica et in lingua Rhaetica Curiensi ‚barbe', cf. Diez E. W. 355; *potestas*, it. ‚podestà' de judice, similiter in lingua prov. Adde *gentes* de paganis masc. apud Commod. apol. 345. 679, ‚gens' sing. de uno homine pagano apud eundem instr. 1, 26, 24. Eadem de causa *progenius* masc. exhibet Sulpic. Sever. chron. 1, 2, 8, *soboles* masc. Commod. apol. 422. 718.

Sed accedamus ad id, quod Póttius in Erschii et Gruberi encyclopaedia 1, 62 p. 399 sq. summi ait esse momenti in genere considerando, ut in singulas substantivorum classes significatione distantes inquiramus. Atque eo facilius jam apud priscos Latinos nonnulla urbium et montium nomina, postea multa appellativa ei generi, quo major numerus vocabulorum eidem classi attributorum usurpabatur, accommodata sunt, quia voces generales, velut ‚urbs, mons, arbor, herba' saepe et addebantur et subaudiebantur. Sic multa urbium nomina, praecipue Graeca e neutris feminina facta sunt, cf. quae in indice collegimus. Quamquam concedendum est, complura urbium nomina feminina in ‚us' secundae declinationis a Latinis, quibus eius exitus muliebria, a masculinis specie non diversa, displicebant (cf. p. 32), ad neutrum genus esse detorta, quasi

subaudito vocabulo ‚oppidum'. A virili certe genere in urbium nominibus Romani abhorruerunt. Deinde nonnulla montium nomina feminina, a Graecis deprompta, primo genus primitivum tuebantur, postea ad montium Latinorum similitudinem inter masculina relata sunt. Velut *Aetna* fem. inde a Cicerone usque ad Statium, masc. ap. Solinum. cf. Neu. 638; *Ossa* fem. Ov. bis, alii usque ad Statium., masc. Ov.; *Oeta* fem. a Culicis autore usque ad Statium, masc. Ov. bis, Claudian.

Sed jam pergamus ad posteriora tempora. Ac primum quidem videamus de iis bestiis, quae semper, nulla generis naturalis ratione habita, uno usurpatae sunt genere. Ex his aliae a feminino ad masculinum, aliae ab hoc ad illud transierunt. Significationis autem hic aliquam fuisse vim, et si fabulas de bestiis fictas et si ludos pueriles respicimus, videmur nobis verisimiliter conicere; natura enim secum fert, ut omnium, quibuscum in vita convenimus, nihil magis quam bestias hominibus comparemus. Quare si ne hic quidem in linguis Romanicis ratio plerumque aliquantum valeret, ullam significationis fuisse vim negaremus. Cum igitur in hac parte, quantum significatio valuerit, clarissime appareat, pauca exempla afferemus.

Aquila igitur, quod Priscianus cum appositione conjunctum masculine quoque legi contendit, ad similitudinem ceterarum rapacium avium Francogallis masculinum factum et omnino regis avium majestati et robori virile potius genus idoneum est.

Simili mòdo Francogalli pro fem. *lynx*, quod masculinum tamen Priscian. ex Horat. affert, ‚le lynx' (prisc. germ. ‚luhs') dicunt, primum quod aliis ferarum bestiarum nominibus masculinis utuntur, deinde quia huius bestiae acies oculorum, quae viris praecipue attribui solet, maxime fabellis celebratur. Ab eo quod est *talpa*, quod masc. uni Vergilio georg. 1, 183 est, ortum ‚talbus' de muris genere in Vocab. Sang. legitur. Inde it., hisp. ‚topo' de glire; e contrario pro masc. *sorex* Francogalli a priscis temporibus ‚la souris' (‚le souris' das lächeln) dicunt, ut *mus araneus* in plerisque linguis Romanicis femininum est. Illam igitur bestiam et plus robore valentem et hominibus plus nocentem masculinis, imbecilliorem hanc femininis addiderunt.

Quod *pulex* a Francogallis ‚puce' fem. profertur, non tam significatione videtur esse effectum, quam forma. Primum enim ‚puce' in vocalem ‚e' sono carentem exit, deinde complura nomina in ‚ex' e masculinis feminina facta sunt, velut ‚grex' inde

a Lucilio, ‚index‘ ab Ovidio, ‚allex‘ et ‚rumex‘ a Plinio, ‚frutex‘ a Martian. Cap., ‚vertex‘ Agnello femininum est, ‚fornex‘ et pantex‘ Romanicis. Omnino pleraque masculina in ‚x‘, majorem numerum substantivorum eodem modo exeuntium secuta, feminina sunt facta, ut ‚box‘ (graec.) Fest. Isid. franc. it. ‚boca‘ etc. cf. Weise 362; ‚larix‘ inde a Plinio; ‚lux‘ masc. Plaut. etc., postea fem. cf. Neu. 666; ‚onyx‘ Plin. fem. (cf. Weise 473. franc. masc.). — Ex *allex* vel ‚allec‘ in linguis Romanicis plerumque feminina sunt ficta. *Upupa* ceteris Romanicis fem. est, iis priscae Liguriae incolis, qui occidentem versus spectant, masc. ‚popo‘, cum major sit avis et quasi galea ornata, quare nos quoque masc. ‚wiedęhopf‘ dicimus.

Denique nonnullae parvae aves quae cantu hominum aures delectant in linguis Romanicis masculina sunt. Hic significatio nihil videtur valuisse, nisi masculina facta esse censemus, quia mares canunt; sed easdem jam in lingua Latina masculina legi comprobabimus. *Luscinia* Hor., alii, ‚luscinius‘ primus Sen. epist., ‚lusciniola‘ Plaut. etc., in linguis Romanicis masc., fem. ‚rossinhola‘ apud poetam provincialem, cf. Diez E. W. 275. *Galbula* Plin. Mart. ‚galbulus‘ Mart. 16, 68, si recta est lectio. ‚galbulus‘ vel ‚galgulus‘ de fructus specie inde a Varrone; fortasse haec duo vocabula inter se confusa sunt, it. ‚galbero‘ etc., cf. Diez, E. W. 152. *Fringilla* Varro d. l. l., Paul. Fest. ‚fringillus‘ Mart. Gl. Labb. bis, ‚fringellus‘ Graff. Altdeutscher Sprachschatz 3, 257, it. ‚fringuello‘. *Merula* Varro, alii; ‚merula‘ non ‚merulus‘ dicendum esse Varro l. l. 9, 55 statuit; ‚merula an merulus dicendum sit quaeritur, merulus dicendum est‘ Char. 1, 57, 16. ‚merulus‘ Anth. Lat. 762, 13 R. ‚meruli‘ de piscibus Is. or. 12, 6; ‚merulorum‘ Thom. thes. p. 78; it. ‚merlo‘ et ‚merla‘ de ave, fr. ‚le merle‘ et de ave et de pisce; ‚merulus‘, a grammaticis non receptum, sermone vulgari ad linguas Romanicas propagatum est. Plura igitur bestiarum nomina e femininis masculina facta sunt.

Herbarum vocabula e contrario pleraque feminino, pauciora neutri generi sunt accommodata. Et a Latinis plantas femininas esse acceptas, praeter cetera inde intellegitur, quod Plinius nonnunquam cum herbis genere neutro prolatis adjectiva feminina conjungit, quasi subaudito vocabulo herbae, velut n. h. 25, 171 dicit: ‚labrum Venereum vocant in flumine nascentem‘. Et in plerisque linguis Ariorum bestias, cum se moveant et iis quae

agunt hominum animos ad se convertant, potius masculino, plantas, cum et uno loco haereant neque laedentibus resistant, et multo fertiliores sint, feminino potius generi subjungi Pottius in Ersch. et Gruber. Encyclopaedia l. c. sagacissime comprobat. Eo facilius autem ut neutra a Graecis, ita feminina a Latinis plantae usurpatae sunt, quia illi *φυτόν*, hi ‚herba' vel ‚planta' saepe subaudiebant. Quod praeter cetera factum est in iis, quae ab adjectivis sunt derivata, velut ‚draconteum' et ‚ligusticum'. Denique, cum pleraque a Graecis essent arrepta, in his non minus, quam in omnibus iis omnium linguarum vocabulis, quae e lingua aliena deprompta sunt, ignorantia multi de genere errores commissi sunt.

Sed videamus exempla ipsorum nominum, quae pleraque e Graeca sunt lingua deprompta. *Coriandrum* graec. Plaut. Cato, alii; ‚coriandrus' fem. Cato, Veget. Apic. (fr. saeculo 16. masc.) — *abrotonum* graec. Hor., alii, ‚gravem abrotonum' Lucan. ‚abrotani' plur. (fem.) Lucr. cf. Neu. 529, fr. ‚aurone' fem., it. ‚abrotano'. cf. Weise 326. — *amaracus*, graec. *ὁ ἀμάρακος*, *τὸ ἀμάρακον*, Plin. masc. fem. neutr. cf. Neu. 529. ‚haec amaracus' Caper d. v. d. K. 7, 107. cf. Weise p. 334; inde it. ‚majorana', fr. ‚majorlaine' etc. Diez, E. W. 200. — *draconteum* graec. Plin. ‚dracontea' fem. Apul. de herb. 15. — *ligusticum* graec. fr. ‚livèche' fem., it. lus. masc. — *lilium* in plerisque linguis Romanicis masc., in lingua Rhaetica Curiensi fem. ‚giglia', germ. medio aevo ‚gilge', germ. nostra aetate ‚die lilie', helv. ‚jilge' vel ‚ilge' fem. ‚ad liliam' Inventar. a. 1295. ‚lilia lactei floris herba, unde et nuncupatur quasi liclia. huius generis sunt tria, purpureum, album, melinum' Isid. or. 17, 9, 18.

Lapathum graec. Plin. ‚lapathus' masc. Lucil. fem. Col. hisp. ‚lapato', ‚lapazo'. lus. ‚labaça'. — *cytisus* masc. graec. Col., fem. Col. ‚cytisum' Cato etc. — *ἡ κάνναβις*, *ὁ κάνναβος*, ‚cannabis' Scr. r. r., alii. ‚cannabum' Is., qui etiam ‚cannabis' dicit. ‚cannabis, cannabum, caneva' etc. Diefenb., ‚de caneva' Cap. de Villis cap. 62. it. ‚canapa'. — *intibus* Lucil. etc. ‚intibum' Plin., alii, ‚intubas' Capit. de Villis 70 etc. fr. ‚endive' fem. it., hisp., prov. ‚endivia'; et haec quidem optime Diezius ex adjectivo ‚intybeus' quod nullis locis nobis conservatum est derivat, sed ‚endive' ex illo quod est ‚intuba' videtur fictum esse. — *papaver* masc. Plaut. etc. neutr. a Catullo, hisp. ‚ababa, ababol', lus. ‚papoula'. — *narcissus* Graeci rarius fem. quam masc. fem.

Diom. 1, 453, germ. ‚die narcisse‘ (it. narcisso) cf. p. 39 ‚die lilie‘; nos enim flores, qui pulchritudine oculos nostros delectant et tacite ac modeste, ut virginem decet, adolescunt feminino solemus generi tribuere. Item in linguis Romanicis ‚juncifolius‘, subaudita voce narcissi, femininum est factum. — *hibiscus* graec. Serv. etc. ‚hibiscum‘ Plin. n. h. etc.

Saepe igitur ad femininum genus plantae sunt deflexae, vel terminatione ‚us‘, qua in reliquis vocabulorum classibus non facile feminina praedita erant, accepta. Sed non prorsus improbabile est, nonnullas formas femininas, jam a Graecis usurpatas, non ad nostram aetatem esse proditas, certe erant Graecis non pauca plantarum nomina feminina in *ος*. Tamen genus masculinum in herbarum nominibus plerumque esse a Latinis vitatum vix quisquam negaverit.

De arborum genere diximus pag. 5—6 et pag. 31, hic pauca de significatione adjungamus. Ea igitur, quae botanici discernunt in nonnullis arboribus genera naturalia, in linguis Romanicis non magis, quam in lingua Germana genere grammatico distinguuntur. Romani tamen in uno certe vocabulo sterilitatem respexerunt. Cum enim frugiferae arbores feminina illis essent, ‚oleastrum‘ masculine usurpabant, qui in Irenaei demum interpretatione 5, 10, 1 femininum legitur, neutrum apud Calpurnium. Quod ad linguas Romanicas attinet, in his non solum arbores in ‚us‘ exeuntes masculina sunt factae, sed ab eo quod est *salix* Francogalli ‚le saule‘, a *tilia* Italici ‚tiglio‘, Valachi ‚tein‘ masculina derivarunt.

Quod eo facilius accidit, quia vox generalis *arbor* ad genus masculinum transiit, quo genere legitur in inscript. Lyon. 1, 27, saepius in edicto Liutprandi regis Longobardorum et in Concilio Autissiod. a. 586, postea in charta a. 1127 Esp. Sagr. 50, 588, unde Francogallis ‚arbre‘ masc. est. Ac nonnihil viderunt viri docti, qui non modo exitum, sed etiam significationem eo aliquid valuisse censuerunt. Masculino enim usi sunt in linguis Romanicis, ut nos dicimus ‚der baum‘, cum non ad fertilitatem fructuumque abundantiam animum intenderent, sed ad firmitatem et altitudinem arborum, quae ramorum umbra et a solis aestu et ab imbris vehementia homines tuentur, quae fessis et fame vel siti tortis fructuum oblectamenta largiuntur, quae omnibus tempestatis impetibus intrepidae resistunt.

Fructus autem, ut parvos et imbecillos ab illis tectos et fotos, muliebres usurparunt atque eo facilius, quod quasi feminae uterus novarum arborum semina continent. Concedimus tamen, nonnihil eo pertinuisse id, quod plerumque pluraliter prolati hominum auribus ut in ‚a' desinentes assuefacti sunt. Nam primum multitudinem fructuum vocabulo feminino esse comprehensam, deinde ab hac genus femininum ad singulos significandos esse translatum mihi persuaderi non potest, cum nimium intersit inter magnam vim pomorum et unum pomum cumque in vita cotidiana alteram ab altero discerni saepissime necesse sit. Adnotamus tamen ‚totam ipsam *fragam* cum oliveto' de agro videri fragis consito scriptum esse in charta Alphonsi imperatoris Hispaniae aerae 1162 ap. Cang. Necesse erat denique, ut fructus ab arboribus, a quibus saepe praeterea non distincti essent, aliquo modo discernerentur.

Atque ipsa vox generalis *fructus* in nonnullis linguis Romanicis femininum quoque est, it. ‚frutta, frutto', hisp. ‚fruta, fruto', val. ‚frupt', plur. fem. ‚frupturi'. Quod eo facilius accidit, quia neutrum ‚fructum' in versionibus novi testamenti passim usurpatur, velut Marc. 4, 29 Sg. I et II, Cant.; Gl. Lat. Gr. p. 351; ‚illa fructa' acc. plur. Ch. reg. Child. III a. 697, Capitul. de Villis 20, ‚de fructa' Cap. Sicardi principis Beneventani a. 836; ‚de fructa aut pecunia' Pardess. 431 charta franc. a. 693; ‚illa fructa hoc est vinus vel annona aut fenus. illa fructa. ipsa fructa' Mar. 497 a. 716. — Cum arborum fructibus e terrae frugibus *rapa* conjungendum est, quod pro ‚rapum' inde a Petronio saepe legitur.

Progrediamur ad neutra collectiva, quae, cum plurali plerumque efferrentur, deinde sub una multitudinis specie comprehenderentur, et forma et significatione generi feminino facile sunt accommodata. Haec quoque plerumque trita erant in usu cotidiano. Imprimis huc nonnulla, quae ad res necessarias pertinent, referenda sunt. Velut *alfita* fem. primum Oribasius; *cibaria* Cod. Lugd. roman.; *ablata* Tab. a. 1173, roman.; *vianda* Ann. Genuens. a. 1164, roman.; *victualia* Chron. Alt. saeculi decimi, ‚vitalia' c. saeculum octavum, roman.; *grana* Andr. Bergam. roman. *mella* roman. cf. Diez Gramm. II^3, 22. Accedunt: *gramina* Bell. Paris c. a. 900, cf. it. ‚gramigna' fem., *zizania* Augustin. roman., *stercora* cf. Diez. Gramm. p. 23, *vela* Lit. Salladin. pro Pisan. roman., *fila* Capitul. a. 790. roman., *folia* Isid.

rom., *nubila*. it. ‚nuvola, nuvolo'. Eodem referenda sunt pluralia tantum *arma*, *spolia*, *viscera* (it plur. fem. ‚viscera'). Imprimis corporis membra memoranda sunt, ipsum vocabulum *membra*, deinde *ossa*, *tempora*, *inguina*, *ilia*, *verenda*; *vellera* de bestiis. Quin ab eo quod est *hepata* derivatum Italici ‚hepa' de ventre dicunt.

Addenda sunt his nonnulla, quae, cum semper bina essent conjuncta, numero plurali efferri solebant et non minus quam illa collectiva quasi una res accipiebantur. Velut ab eo quod est *labra* it. ‚labbro', pl. fem. ‚labbra' derivatum est, a *labella* fr. ‚la labelle', a *supercilia* lusit. ‚sobrecelha', a *bracchia* lus. prov. ‚brassa' etc. cf. Diez E. W. 65; ab *ubera* it. ‚ubero', pl. fem. ‚ubera'. Adde *calceamenta* et *cymbala*.

Eodem modo, quo illa collectiva, alia neutra, cum pluraliter saepe usurparentur, in feminina ideo conversa sunt, quod, quae proprie ex multis partibus constabant, in unam notionem coaluerunt. Ad hoc genus pertinent: *fundamenta*, de quo cf. p. 27, *dicta*, *promissa*, *responsa* etc. cf. p. 25. Eidem generi adscribendus major numerus eorum substantivorum, quae ex adjectivis derivata ad linguas Romanicas pervenerunt, velut *data*, *explicita* (D. E. W. 579), *gesta*, *merita* (comm.), *nova*, *parata*, *peccata*, *reddita*. Cum enim dubitari possit, num feminini alicuius subauditi genus secuta sint, tamen, quia in iisdem medii aevi scriptis multa et neutra et feminina legantur, e neutris videntur orta esse. Deinde, cum pluralibus quae sunt *miracula* et *mirabilia* singulae facti egregii partes antiquitus significarentur, pluralis cessit singulari, inde hisp. ‚miraviglia' etc., lusit. ‚miracla', prisc. fr. ‚miracle' comm. cf. Diez Gr. II³ p. 23.

Evangelia autem — saepissime medio aevo in formula solemni ‚jurare supra (ad, per etc.) sancta dei evangelia' (Mon. H. P. Ch. 1, 708 a. 1093 etc. Hincmari Remensis ann. Mon. G. S. 1, 468, 32) usurpatum — e neutro femininum fieri necesse erat, quia haec scripta in unum corpus collecta tradi solent. Inde in lingua francogallica medii aevi ‚évangile' fem. derivatum est, quod usque ad saeculum 17. genus muliebre tuitum est, cf. Ampère p. 50, Darmesteter p. 251. Eadem de causa ‚biblia' de libris sacris dictum et ‚chronica' ad femininum genus detorta sunt.

Sacramenta et *vota* erant complures formulae quibus ut una res efficeretur promittebatur, ‚praebuit sacramenta' ut for-

mula solemnis saepissime repetitur in chartis inde a saeculo sexto, velut Marini 145. Adjunge his *tempora* et *otia*, quae per multorum annorum spatium patent, denique *gaudia* et *fortia*, quorum illud primo de singulis laetis affectibus, hoc de multis rebus fortiter gestis dictum est.

Praeterea ad genus femininum medio aevo vergebant complura nomina locorum munitorum, quorum tutela homines et a tempestatum vehementia et ab hostium vi defendebantur, velut *aedificia*, *clausa*, *claustra*, *coenobia*, *monasteria*, *munimina*. Adde nonnulla vocabula vestimentorum, ad quae ‚vestis' vel ‚tunica' subaudiebatur, velut *lintea* (Diez E. W. 191), *pallia*, *sabana*, *saga*; *cuculla* (cucullus) Ambros. Hieron. Ennod. Epistola Pelagii papae a. 751 Bouq. 4, 75 A etc. it. ‚cocolla' fem. ‚cocollo' masc.; *calceamenta*; *socca* (soccus) Charta a. 855 ap. Cang. *sandalia*. Terrae quoque, quippe quae homines nutriat, nomina generi feminino medio aevo magis idonea erant, velut *arva*, *funda*, *praedia*, *territoria*.

Porro nomina abstracta in ‚or', in lingua provinciali, francogallica, italica femininum genus assumpserunt (cf. Darmesteter 1 p. 246 sq.), primum quia virtutes et vitia et quae sunt huic generi similia semper muliebri specie accipi solent, deinde quod necesse erat, ut illa a masculinis agentium nominibus, velut ‚acteur', quae eodem modo exibant, plane distinguerentur. Atque in Latinitate perpauca inveni eius consuetudinis vestigia. ‚Quae *humores*' Oribas. 11. 12, franc. ‚humeur' fem. ‚qualibet *laborem*' (pro ‚qualibet labore' aut ‚quamlibet laborem'), ‚labor clausa est' Lex Salica. ‚summa *honore*' Lex Rom. Utin. 25, 28. Atque ‚honor' Francogallis femininum erat usque ad saeculum 14., deinde hominum doctorum auctoritate paulatim inter masculina relatum, cf. Littré. ‚Labor', quod praeter id quod est ‚arbor' solum eorum vocabulorum in ‚or', quae Romanici receperunt, inter virtutes vitiaque et iis similia referri non potest, in suo genere permansit.

Significatione autem, non forma hanc generis commutationem effectam esse apparet; nam *arbor*, quod unum in prisca lingua Latina femininum erat, masculinum factum est, et ‚labor', quod generi feminino ineunte medio aevo appropinquasse vidimus, in suo solum genere permansit. Laborem autem masculino generi maxime esse idoneum, quis est quin intellegat? Summa enim severitate hominibus quasi rex imperat. Quod

denique ‚flos' Francogallis femininum est, optime cum vocabuli notione convenit.

Denique commemoramus, quattuor anni tempora Francogallis non minus, quam nobis in lingua vernacula masculina esse. Nam vel ex eo quod est *aestas* a Francogallis, cum ceterorum anni temporum similitudinem sequerentur, factum est ‚été' masculino genere. Unum *autumni* vocabulum (automne) communis est generis, et certe haec aetas, quippe quae terrae fruges proferat, maxime feminino est generi apta. Eo facilius autem femininum potest explicari, cum jam in prisca lingua Latina hoc nomen genus neutrum adsciverit. De eo quod est ‚hiemps' cf. p. 32. ‚*hibernus* grandis et durus' (fr. hiver) Annal. Lauresh. a. 764.

Unum etiam vocabulum ad alterius similis significationis vocis genus aliquod momentum attulit, ut *sort* Francogallis ad similitudinem vocabuli ‚destin' masculino est genere.

Index.

Paucis mihi liceat exponere, quam in hoc indice componendo secutus sim rationem. Enumeravi igitur, sicut mihi propositum est, neutra in feminina et masculina conversa; sed, ut tota generis neutrius cum reliquis generibus cognosceretur commutatio, necesse erat, ut illis feminina et masculina, quae neutra facta sunt, subiungerem. Tertiae autem declinationis exempla a ceterarum declinationum vocabulis separavi, quae promiscue enumeravi, ne in nimis multos laterculos indicem dispertiri cogerer.

Ac ne omnis temporum distinctio tolleretur, in quattuor distribui exempla partes. Nam ne omnia secundum certam annorum seriem componerem, eo prohibitus sum, quod, id quod etiam atque etiam mihi monendum est, fieri non potuit, ut ubique primum commutati generis exemplum investigarem. Quod eo magis mihi videtur excusandum, quod in medii aevi scriptis, quae ante omnia mihi perquirenda erant, non ita multa leguntur, quae huc sunt referenda. Cumque initio plerumque mihi ignotum esset, quae illius aetatis documenta sermoni vulgari tam essent accommodata, ut eiusmodi soloecismi in iis reperirentur, magna nonnunquam volumina mihi erant pervolvenda, ut nonnulla colligerem exempla.

Primo igitur loco in singulis partibus, secundum genera et declinationes compositis, attuli exempla priscae Latinitatis, deinde aureae quam vocamus, quae a Varrone usque ad excessum Divi Augusti pertinet, post argenteae et posterioris, praecipue ecclesiasticorum usque ad finem sexti post Christum natum saeculi, postremo medii aevi, quod ego ipse non ultra saeculum duodecimum perscrutatus sum, sed pauca posteriora ex Cangio deprompta addidi. Inscriptiones autem, quarum aetas pro certo explorari non potest, tertiae parti inserui, cum illis temporibus plerasque esse compositas appareret. Quod

nonnihil ad id contulit, ut argenteae et posterioris aetatis exempla conjungerem; saepe enim dubitari potest, utri aetati cum tituli, tum loci Italae attribuendi sint. Origines Isidori et Glossas, quamquam nonnulla in eas ex prisca lingua Latina fluxisse constat, tamen postremae parti attribui, quia multa in iis sunt, quae ex vulgari sermone eius quo compositae sunt aetatis hausta esse apparet, velut apud Isidorum ,folia', in Glossis Casselanis saeculi septimi ,prata' et ,membra' feminina efferuntur.

De eis formis, quas alia aetate alio genere adhibitas esse dixi, haud ignoro saepe non prorsus exploratum esse, utra vetustior sit, cum magna pars librorum Latinorum non usque ad nostra tempora propagata sit, praeterquam quod lingua Latina et multo ante floruit, quam ad libros conficiendos adhibita est, et non tota in scripta est redacta. Ac ne ex iis quidem, quae servata sunt, me omnia, quae huc pertinent, colligere potuisse iterum legentes commonefaciam. Quare, si dixi prisca vel aurea linguae Latinae aetate neutra in feminina esse conversa etc., nonnunquam nihil aliud comprobare volebam nisi, quoad nobis nota sunt, primo illo, deinde hoc genere substantiva illa scripta inveniri. Tamen perspicuitatis causa ea, quae diversis temporibus diverso genere usurpantur, ab iis, quae eadem fere aetate aliis alio genere locis existunt, separanda esse existimavi, et haec quidem illis anteposui.

In iis autem, quae dubia sunt, causis ex significatione vocabulorum sumptis, utra forma antiquior sit pro certo concludi posse mihi quidem persuaderi non potest, cum ubique linguae licentia certis rationis normis regi non possit. Dixerit quispiam eas formas, quae apud vetustissimos modo scriptores raro usurpatae postea plane aboleverunt, primitivas esse. Sed ne hoc quidem, quamvis aliquam habeat verisimilitudinem, pro certo audeam contendere. Quare plerumque in eo acquiescamus, ut prisca illa aetate viribus populi vigentibus linguam diversis formis abundasse intellegamus.

Graeca autem vocabula, quae a Latinis diverso attributa sunt generi, etiamsi non proprio suo genere in lingua Latina antea leguntur, non omittenda esse censui, cum in his imprimis jam priscis temporibus generis confusionem irrupisse cognosceretur. Ea autem, quae, cum a Graecis duplici proferrentur genere, a Latinis vario genere in suam linguam inducta sunt,

ad propositum meum non magis pertinent, quam ea non ita multa, quorum generis varietatem inde pendere, quod ex adjectivis orta sunt, pro certo mihi videor confirmare posse. Haec enim et neutro genere absolute posita sunt et masculino vel feminino, subaudito vocabulo aliquo substantivo. Tamen pauca horum collegi, praesertim cum in vocabulis ex adjectivis factis saepe posset dubitari, utrum substantivum supplendum esset necne. Alia id genus nonnullius sunt momenti ad linguas Romanicas vel medii aevi Latinitatem, alia commemoravi, ne ea oblitus esse viderer et ut haec etiam, quae cum proposito meo cohaerent, paucis illustrarem. Ceterum quae ad linguas Romanicas pertinent praesertim in femininis ex neutris factis paucis verbis attigi. Omnino plerumque eas solas linguarum Romanicarum formas adscripsi, quae genere commutato ortae sunt; eae enim, quae genus priscum conservarunt, huc non pertinent. Postremo addidi pauca ea diminutiva, quae a primitivis, a quibus ficta sunt, genere differunt.

A. Neutra cum femininis commutata.

α. Vocabula a Graecis utroque genere usurpata.

Animadvertas, plantarum esse et frugum nomina.

τὸ ἀμύγδαλον, ἡ ἀμυγδάλη de fructu; cf. Neue 548. Georges; franc. ,amande' fem. hisp. ,almendra' etc.; cf. Diez E. W. p. 202 s. v. ,mandorla'. Weise 336.

τὸ ἀψίνθιον, ἡ ἄψινθος. Latini ,absinthium' neutr. inde a Lucretio. Varro: ,absinthium gravem'; cf. Neue 1, 529.

τὸ δίκταμνον, ἡ δίκταμνος; cf. Neue 623. Weise 403.

τὸ κάππαρι, ἡ κάππαρις; cf. Neue 554. Weise 369.

τὰ κάρβασα vela. *ἡ κάρπασος* linum, ex quo confecta sunt. latine utrumque de velis; cf. Neue 544. 650. Weise 369.

τὸ κενταύριον, ἡ κενταυρίη; cf. Georg., Weise 374.

τὸ κιννάβαρι, ἡ κιννάβαρις; cf. Neue 555. Weise 384. Diez E. W. 99.

ἡ σέσελις, τὸ σέσελι; cf. Neue 555. Weise 516.

ἡ, ὁ στρύχνος, τὸ στρύχνον. ,trychnos, trychnum' Plin.; cf. Georg.

τὸ ὕσσωπον, ἡ ὕσσωπος; cf. Weise 441.

β. Nomina adjectiva.

animantia *neutr.* ,animans' scl. homo *masc.* ,animans' scl. bestia *fem.*; cf. Neue 611.

arvum Lucret. etc. — ,omnis *arvas* opterunt' Naev. trag. 22. ,arvas' Pacuv. tr. 396. supplenda est vox terrae; cf. ,arvus ager' Plaut. truc. 1, 2, 47. Varro de l. l. 5, 39. Cic. de re p. 5, 39. ,arba terra' Charta anno 976 Paduae scripta Mon. de la Dep. Ven. 2, Doc. 2, 87. Chartae a. 895 et 896 Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 84 et 85. — ,per multa spatia arvarum' Vita S. Galli Mon. Germ. Scr. 2, 18, neutrum ,arva' in eadem saepius. ,arvam' Mon. H. P. Ch. 1, 54 a. 874. ,arba' fem. Chron. Salernitan. 13. ,arva' fem. 104. 107. ,arva' neutr. ibidem non minus septies. ,arvam' Chron. Noval. p. 34. 38. 44. ,arva' nomin. fem. 34. ,in arva', ,ab arva' in eodem chronico nonnunquam, neutrum ,arva' saepius. Dicitur ,arva' fem. et neutr. medio aevo et de terra populi alicuius (cf. Verg. Aen. 7, 661 ,Laurentia arva'), et de singulorum hominum praediis. Cum in iisdem medii aevi scriptis ,arva' et fem. et neutr. legatur, vocabulum ,terram' suppleri non necesse est; sed illis temporibus femininum ,arva' ex neutro factum esse videtur. franc. ,arve' Charta a. 1326 in Historia Sabolens. pag. 249; cf. Cangium.

lixivia scl. cinis, quae ap. Col. juncta sunt, *lixivium* cf. Georg. in linguis romanicis plerumque fem.; prov. cym. masc.; cf. Diez E. W.[4], 194.

proma Ezech. 28, 16 ap. Tertull. scl. cella. ,cella proma' Tert. de resurrectione carn. 27. *promum* idem ad uxor. 2, 4 extrem.

quadrupes *neutr. fem.* scl. equa. *masc.* scl. equus.; cf. Neue 611.

sera scl. pars vel hora. ,sera vespera, crepusculum' Gloss. graec.-lat. ,da sera' pro occidente Charta a. 962 ap. Cang. ,da sera et da mane' Laus Pompej. 38. 39 bis a. 997. ,da sera' 57. 59 a. 1024. ,seram' Regula Benedicti 41. ,a meridie via sera' Laus Pomp. 140 a. 1142, ubi ,a' inter ,via' et ,sera' addendum est. saepissime in chartis italis. ,in parte sera', ,in parte meridie' Laus Pomp. 63 a. 1051. ,a *sero*', ut unum locum afferam, L. P. 81 a. 1103. Mihi ,sera' in illius aetatis chartis duplo pluribus locis occurrit quam ,sero'. it. prov. ,sera', val. ,seare̦'; masc. prov. ,ser'. fr. ,le soir'.

sertum. *serta* scl. corona. ,sertas coronas' Lucan.; cf. Neue 475.

stragulum. *stragula* scl. vestis. ,stragula vestis' Cic.; cf. Georg.

I. Substantiva et feminina et neutra eadem aetate adhibita.

a. priscae Latinitatis.

caepe indecl. Enn. etc. — *caepa* fem. Naev. etc.; cf. Neue 557.

exta neutr. Plaut. etc. — *extae* etc. Acta fratr. arv. a. 218 etc.

fibra fem. Lucil. etc.; cf. Forc. — ‚antiqui *fibrum* dicebant‘ Varr. de l. l. 5, 79. ‚fibrum‘ praeter hunc locum nusquam legitur.

labea fem., ‚labeae‘ pl. Plaut. al. — *labia* neutr. Ter. alii. ‚labellum‘ dimin. Plaut. etc., unde cognoscimus neutrum non post femininum in usum venisse.

opus et *opera* in prisca Latinitate eadem significatione usurpata. Plaut. as. 425 ‚operae aranearum‘, ‚opera‘ fem. de unius diei labore ap. Varr. et Col. Aurea linguae aetate significatione sunt distincta; cf. Georg.; ‚operas facere‘ de donis pauperibus tributis Commodian. instr. 2, 13, 12. cf. 24, 9. Celerin. ap. Cypr. ep. 21, 2. Parva Genes. 20, 10. Victorin. ad Gal. 2, 10. ‚opera‘ neutr. eadem sententia multo saepius Eccl. ‚operae, operas‘ Lex Bajuv. Lex Long. Capit. Caroli Magni; cf. Cang.; ‚operas manuales, operas facere, operas factas‘ Mon. H. P. Ch. 1, 56 a. 875. it. ‚opera‘, hisp. lus. ‚obra‘, prisc. franc. ‚oeuvre‘ fem.; cf. Darmest. 249.

ostrea fem. et *ostreum* neutr. inde ab antiquissimis temporibus; cf. Neue 479; franc. fem.; cf. Ampère 49.

pecus ab Ennii et Plauti aetate et fem. et neutr.; cf. Neue 565; ‚pecudi‘ dat. masc. Enn. tr. 336 (255). ‚pecudes‘ masc. Lact. mort. pers. 10, 1. ‚pecudum‘ gen. masc. Salv. de gubern. dei pag. 135 Bonn.

penus per totam Latinitatem dubio genere, saepius *neutr.* vel *fem.*, rarius *masc.*; cf. Neue 566.

pistrinum Plaut. Ter. Afr. Varr. Cic. al. Mar. 147 a. 625. — *pistrina* Lucil. sat. 16, 17. Varr. l. l. 5, 138 etc. ‚pistrilla‘ dimin. Terent.

prostibulum Plaut. Commodian. Vulg. al. — *prostibula* Plaut. astr. fr. 16 ap. Non. 423, 18. Tertullian. apol. 16. ‚prostibulum‘ similiter dictum ac ‚Phoenicium‘ et alia femellarum nomina apud comicos, ‚prostibula‘, quod femina intellegitur.

ramenta abl. fem. Plaut. rud. 1016. bacch. 513. — *ramentum* neutr. idem bacch. 680. Lucr. Sen. phil. Plin. Scrib. Mart.

tabo dat. et abl., ‚tabi' gen. inde ab Ennio saepissime neutr. — *tabes* fem. inde a Pacuvio; cf. Neue 490.

terricula neutr. pl. Att. tr. 324. 623. — *terricula* fem. Lucil. Afr. Lactant. Minuc. Felix.

testum vel *testu* Cato, al. — *testa* Lucil. Cornif. Varr. alii plurimi; cf. Neue 350.

b. aureae Latinitatis.

fenisicia Varr. r. r. 1, 47. 49. 56. — *fenisicium* Varr. Col. Plin. bis.

malluvia et *malluvium* Fest.

spica Varr. Cic. Liv. Vitr. Col. — *spicum* acc. priscus versus ap. Fest. ‚spicum' nom. Varr. ap. Non. ‚spici' gen. Cic. Cato Major. ‚spico' Fest. ‚spica' pl. Mamertin.; ‚spicus' Serv. ad Verg. lus. ‚espic, espiga', franc. ‚un épi'.

tina fem. Varr. Ven. Fort. — *tina* pl. Paul. Fest. 369, 1. Nota Tir. 149.

vallus fem. Varr. ter. — *vallum* neutr. idem l. l. 5, 138. dimin. a ‚vannus' derivatum, quare ‚vallus' vetustior videtur forma esse, nisi priscum vocabulum ‚vannum' fuisse censemus, quod prorsus aboleverit.

c. argenteae et posterioris Latinitatis.

cectoria Grom. p. 334 etc. — *cecturium* 333.

fulgetrum Sen. quaest. nat. Plin. etc. — *fulgetras* acc. plur. Plin. n. h. 28, 25.

muscipulum Phaedr. It. Vulg. Gl. Philox. — *muscipula* fem. Sen. epist.; It. et Vulg. multo saepius quam ‚muscipulum', cf. Roensch It. und Vulg. p. 218; ‚muscipulam' Ann. Fuld. circa a. 863 Mon. Germ. Scr. 1, 375, 39.

remissa fem. Tert. ad Marc. 4, 28, saepius. Cypr. saepe. — ‚*remissa* peccatorum' neutr. acc. Cypr. saepe, nom. Cypr. ad Fortun. praef. 4.

salsicium Acron. — *salsicia* Gl. Pap. Joh. de Janua. franc. ‚saucisse' etc.; cf. Quicherat.

II. Neutra in feminina conversa.

1. Secundae et quartae declinationis.

Haec commutatio praecipue a Graecis urbium nominibus orta est.

a. In prisca Latinitate.

balineum graec. Plaut. etc. — *balineae* plur. Plaut. etc.; cf. Neue 551—52. Weise 358.

κᾶλον. ‚calum‘ Is. 19, 34, 2. — *‚cala*, calae‘ Lucil.

κορίαννον. ‚coriandrum‘ neutr. Plaut. Varr. al. — *coriandrum sectam* acc. sing. Cato r. r. 157. ‚coriandrus‘ fem. Veget. Apic.; cf. Neue 534. Weise 391.

τὰ Ἐκβάτανα. neutr. Plin. saepius. Tac. Curt. — *Ecbatanam* Lucil. ‚Ecbatanas‘ Apul.

lacerta plur. (pisci genus) Att. 222. — *lacerta* fem. Cic. Ulp.

Megara graec. neutr. Plaut. Cic. d. div. al. — *Megara* fem. poeta ap. Cornif. Cic. d. div. Serv. Sulpic. ap. Cic. ad fam. Liv. Val. Max. Sen. Mela.

myrtetum Plaut. rud. 732. Sall. Verg. al. — *myrteta* Plaut. vid. 13, 1. Neutrum primo fuisse inde conclusi, quod alia vocabula in ‚etum‘ desinentia in prisca Latinitate neutra, in infima feminina sunt. Velut ‚senticetum‘ Plaut. ‚oletum‘ Cato, Cic. Col. Plin. ‚castanetum‘ Col.

πορφυρίζον. purpurissum Plaut. most. 261 etc. — *purpurissam* fem. Naev. ap. Non. 218.

b. In aurea Latinitate.

Abdera neutr. Liv. — *Abdera* fem. Ov. Plin. Solin.; cf. Neue 479.

abrotonum graec. Hor. Cels. etc. — *abrotoni* fem. pl. Lucr. ‚gravem abrotonum‘ Lucan.; cf. Neue 529; ‚abrotanum‘ etc. saepe, ‚abrotanus‘ Diefenb. — franc. fem. ‚aurone‘. it. ‚abrotano‘.

acina pl. Cato r. r. Varr. saepius. Col. compluries. — *acina abl.* Catull. 27, 4; cf. Neue 544.

alimonium titulus praetextatae Naevii ap. Donat. ad Ter. adelph. 4, 1, 21; Varr. de r. r. 1, 8, 7. 3, 16, 5. Tac. Sueton. Paul. dig. Vulg. Ennod. — *alimonia* Varr. sat. men. 260. Gell. Apulei. Cod. Theod. Tertullian. Arnob. Lactant. Prudent. etc.; cf. Piechotta, Curae Apulejanae (1882) p. 33; medio aevo multo saepius femininum quam neutrum.

τὰ Κάβειρα neutrum videtur esse apud Aurel. Vict. M. 76: ‚Cabiris resistentem‘. — *Caberam* acc. sing. Sall. hist. 4,

19 §. 15 D, quod apud Eutropium 6, 8 (Mon. Germ. Auctores antiquissimi Tom. II, 1879) e codicibus restituendum est.

cingulum Varro, Paul. Festi. ‚cingula' plur. Verg. ter. Valer. Flacc. saepius. — *cingula* fem. bestiarum Ovid. Calpurn. (hominis Ovid. am. 3,444); cf. Neue 532.

ganea plur. Naev. com. 117. Plaut. Ter. Varr. Planc. Fulgent. Mai thes. 263. — *ganea* fem. Cic. Sall. Plin. nat. hist. Tac. Apulei. ‚ganea' meretrix dicitur in Gloss. Iric. 187.

Leuctra neutr. graec. — *Leuctram* acc. Nepos bis. ‚Leuctrae' nomin. Solin.

φαλαρα. (‚phalera' neutr. Varr. sat. men. 119, 1 R. Plin.) ‚phalera ornamenta equitum' Gloss. Mon. 33. — *phalerae* Cic. Publil. Syr. etc.; cf. Weise 488.

τὰ σχίδια. — *schidiae* Vitr. bis. — ital. ‚scheggia, scheggio'; cf. Weise 513. Diez Etym. Wörterb. 4. Aufl. 397.

Thyatira neutr. graec. — fem. Liv. saepius. Plin.; cf. Neue 480.

trimodium Plaut. Plin. — *trimodia* fem. Varro, Colum.

c. In argentea et posteriore Latinitate.

acetabulum Cato, Sen. epist. Petr. etc. — *acetabulam* acc. Exod. 25, 29 Tolet.

Alabanda neutr. graec. Liv. Juven. — *Alabanda* sing. fem. Plin.; cf. Neue 479.

alphita graec. Itinerar. Alex. Magni. — *alfita* fem. Oribas. 2, 10. 16, 3; cf. Weise 333.

Artaxata neutr. graec. Juven. Tac. Plin. Flor. — *Artaxata* abl. Tac. Itin. Anton.; cf. Neue 480.

Bactra neutr. graec. Verg. etc. Curt. — *Bactra* fem. Jul. Valer.

balneolum Sen. epist. Juven. ‚balneola' plur. Cic. — *balneolae* Augustin., derivatum a plurali ‚balneae'; cf. Neue 552.

canticum Cic. etc. — ‚meas *canticas*' Venant. Fortunat. Vita S. Radeg. 36. ‚canticam unam' Scriptum a. 1250 apud Cang. de libro ecclesiastico, quo cantica continentur.

castra Plaut. etc. — *castrae* dat. Exod. 32, 19 Wirc. ‚castras' acc. plur. Hebr. 11, 34 Clar. ‚castram' acc. Corp. Inscr. 8, 10937 etc.

cavum Cato, Pompon. Liv. etc. — *cava* fem. Grom. ‚per cavam montis' Charta a. 570 Marini pag. 1. ital. hispan. lusitan.

provinc. ‚cava'. franc. ‚cave'. — ‚cavicula' (i. e. specus) Gloss. Iric. 229.

cibaria plur. Plaut. etc. — *cibariam* acc. sing. Cod. Lugdun. Pentateuchi pag. 151, 34. ital. ‚civaja'. hispan. ‚cibera, cebera', a ‚cibario' significatione distinctum.

ciborium graec. Hor. — *ciboria* fem. Apul. de herb. 67; cf. Weise 384. — franc. ‚ciboire' masc. etc.

cinnamomum graec. Cels. Plin. — *cinnamoma* fem. Augustin. serm. 37, 1 ed. Mai; cf. Weise 384.

compascua neutr. Grom. novem locis. — *compascua* fem. Hygin. grom. p. 116, 26; cf. ‚pascua' pag. 54.

colon graec. Plin. etc. — *colae* genet. Venant. Fortunat. 1 praef.

cuppedia plur. de cibis dulcibus Plaut. Ter. etc. ‚cuppedium' Varro. — *cuppediae* eodem sensu Gell. bis. Ammian. Confusum est cum feminino ‚cuppedia', quod de ciborum dulcium cupidine Cicero dicit.

decipicula plur. Laevius apud Frontonem. ‚decipiculum' Apulei. ter. — *decipicula* fem. Hieron. Martian. Capella, Sidon.; cf. Georg.

didrachmon. — *didrachma* Cod. Lugdun. Vulgata, Gloss. Vatic. Eucher. de ponderib. Femininum factum est ad similitudinem vocabuli simplicis δραχμή; cf. Weise 403.

draconteum graec. Plin. bis. — *dracontea* fem. Apul. de herb. 15. ‚herba' videtur esse supplendum; cf. Weise 406.

embolium graec. Cic. — *emboliarum* genet. plur. Inscript. Bullet. dell inst. 1873 p. 67.

fatum Plaut. etc. — *Fatabus* dat. plur. pro ‚Parcis' Corp. Inscr. 5,4209. 5799; cf. p. 36; ital. ‚fata' etc.; cf. Diez Et. Wörterb. 135; plur. fem. ‚fata'; sing. masc. ‚fato'.

fimum Plin. saepe. Sammonic. — *liquida fimo* ablat. Apul. met.; cf. Neue 534. 653.

homicidium Cic. etc. — ‚invidiae, *homicidiae*' Galat. 5, 21 Clar. ‚homicidias multas' Chronic. Altinat. saec. 11.

hypochondria neutr. graec. Theod. Prisc. de diaeta. — *ypocondria* fem. Oribas. ter. ‚per ypocundriam' Richer. Quamquam ex adjectivo ὑποχόνδριος ortum est, non necesse est, ut ‚pars' subaudiatur; cf. Weise 440. (it. ‚ipocondria' fem.)

impendium Cic. etc. — *impendia* fem. Gruter. inscript. 62, 8. 871, 8. 1077,6.

intestina neutr. Plaut. etc. — *intestina* fem. Petr. 76. Apic. Fortasse ‚pars‘ subauditum est.

jumentum Plaut. etc. — *jumentas* acc. plur. Psalm.; cf. Rönsch 266; ‚jumenta‘ fem. Gloss. Casel. ‚omnes jumentas et vaccas‘ Chronic. Casinense Mon. Germ. Scr. 3, 230, 36. fem. saepius medii aevi scriptores. ital. hispan. ‚giumento, giumenta‘. franc. ‚jument‘ fem.

laganum graec. Hor. etc. — ‚*laganam* azimam‘ acc. Cod. Lugdun. Pentat. 255, 13. ‚unam laganam‘ 225, 14. ‚laganas‘ 181, 20. hispan. ‚launa‘.

lapathum graec. Plin. — *lapathus* fem. Colum. (lusit. ‚labaca‘); cf. Neue 536.

Lugdunum Tac. etc. — *Lugdunus* Ammian. Sidon.

mandibulum Tertull. Macrob. Glossae. — *mandibula* fem. Vulgata.

mendacium Plaut. etc. — *mendacia* Cod. Clarimont. epist. Pauli 400, 13. ital. ‚menzogna‘ etc. franc. ‚mensonge‘ comm.; cf. Mercier p. 47. Darmest. 251.

mesanculum graec. Paul. Festi. — *mesancula* fem. Gell.

Mogontiacum Tac. etc. — *Mogontiacus* Ammian.

myrtum graec. Verg. etc. — ‚*murta*, myrta‘ fem. Cato etc.

ocimum graec. Varro, Colum. etc. — *ocimum viridem* Apic. ‚ocimus‘ Aemil. Macer; cf. Neue 537.

pascuum Scriptores rei rust. ‚pascua‘ plur. Cic. Sen., alii, praecipue poetae. ‚pascua‘ plurale tantum Prob. appendix. ‚pascua‘ saepe Chartae Italae saec. 8. et 9. in Mon. Hist. Patr. Chart. I. — *pascua* fem. saepe Itala et Vulg.; cf. Roensch p. 101; Caelius Aurel. ‚pascuas gen. fem. et pascua neutr. plur. dicimus‘ Beda de orth. 286, 25. ‚cum pascuas‘ Formul. Andegav. circa a. 720 Bouq. 4, 564 D. ‚pascuas‘ Mon. Veneta 2, Doc. 2, 13 a. 829. Laus Pompeja 92 a. 1115. ‚pascuae‘ genet. Cartul. Roton. 23 a. 829. ‚prata et pascuas‘ P. Meyer text. infimae Latinitatis pag. 9.

Patara graec. neutr. Liv. saepius. — *Pataram* acc. sing. Mela, Plin.

pervigilium Lucr. Liv. etc. Justin. — *pervigilia* fem. Justin. ‚pervigilia an plur. pervigiliae quaeritur‘ Char. 58, 10; cf. voc. ‚vigiliae‘.

phaecassium graec. Sen. de ben. — ‚*phaecassiae* inauratae‘ nom. plur. Petron. 67, 4.

plaustrum Plaut. etc. — *Plaustra* fem. Sidon. carm. 5, 282 sq. de Arcto.

praebenda neutr. Plaut. Liv. Gell. Ulpian. — *praebenda* fem. Cassiod. ,praebendas' acc. plur. Epist. Gregor. Magni papae Bouq. 7, 5. ,praebendarum' genet. plur. bis Charta Arnulfi Flandr. comitis a. 961 Bouq. 9, 729 E; saepissime apud medii aevi scriptores legitur praecipue de cibi portione, quae monachis attribui solebat. ital. ,prebenda, prevenda'. provinc. hisp. ,prebenda'. franc. ,prébende' fem.

praecordia Plaut. etc. — *praecordia* nomin. sing. Cod. Lugdun. Pentat. 161, 14. ,praecordiam' acc. 164, 25. Hist. Apollon. cap. 26 Voss. ,praecordiae nostrae' Epist. Barnabae interpret. 8 Hilgenf. Corbei.

praedium Plaut. etc. — ,e *praedia* in quam' Cod. Lugdun. 233, 8. cf. ,non longe a praedia' Hist. Apollon. c. 26.

promissa plur. cf. pag. 25. — ,ex *promissa*' Commodian. apol. 983, neutr. plur. idem bis. ,promissam' acc. Vita S. Dunstani Mai tom. 4, 349. ,non talem ut facit dedit promissa' Agnellus Script. Long. 358, 33; cf. ,missa' fem. Nescio an ,promissa' non minus quam ,missa' nova forma sit, in ,sa' feminino genere ficta.

punctum Cic. etc. — *puncta* fem. Veget. mil.

quaestorium Cic. Liv. etc. — *quaestorias* acc. plur. Commodian. apol. 151 codices.

rapum Varro etc. — *rapa* Petr. 66. Cels. ter, qui neutro ,rapum' non utitur. Colum. Apic. Scribon. Larg. ,hoc rapum, non rapa' Caper de verb. dub. K. 7, 111, 7. ,rapa' Aurel. Vict. Ampelius. ,ravas' acc. plur. Chron. Altin. 42, 35; cf. ,rapina' Cato, Orelli Inscr. 2270; ital. ,rapa'. franc. ,rave' fem.

redimiculum Plaut. — *redimicula* fem. Ps. Fulgent. serm. 5 col. 864 d.

ruscum Colum. Fest. — *ruscus* nomin. Colum. ,ruscus, ruscum' nom. Gloss. Labb.; cf. Neue 624.

Saguntum Liv. etc. — *Saguntus* Plin. nat. hist. etc.

τὰ σαράβαλλα, σαράβαρα (*σαραπάραι* quoque scribitur) vocabulum a Persis depromptum. neutr. ,sarabara' vel ,saraballa' Publil. Syr. Tertullian. Hieron. ,sarabarum' sing. Commodian. — *sarabarae* fem. Augustin.; cf. Forc.; hisp. ,zaraguelles'.

scortum Plaut. etc. — ,in supra scriptum quod multas scortos

habuit et eas custodiebat' Titulus epigr. Luxorii in codic. Salmasian. Anthol. Lat. pag. 308. Non ,multa scorta', quod Riese in textum posuit, sed ,multas *scortas*' scribendum esse apparet.

spolia plur. Plaut. etc. — ,cum magna *spolia*' Augustin. serm. 14, 6, 1 ed. Mai. ,spolia' sing. Gesta Francor. 37. ,spolias' acc. plur. Chron. Isidori episc. Pacens. Bouq. 2, 771 C. cf. ,collecta spolia reversi sunt' Chron. Moissiacense, ante a. 819 scriptum, Mon. Germ. Scr. 1, 300, 36. ital. ,spoglia, spoglio.' franc. ,dépouille' fem. etc.; cf. Diez Gramm. 2^3, 23.

statunculum genere neutro, quamquam diminutivum est vocabuli ,statua', Petron. Tertullian. Cyprian. Donat.; cf. ,staticulum' Itala etc. — *statuncula* fem. Rufin. vertens Origin. homil. 4 in psalm. 36 n. 2, recte a ,statua' derivatum. Gregor. Tur. hist. Franc. 1, 5; cf. Cang.

Susa neutr. Prop. Curt. Lucan. Plin. nat. hist. — *Susam* acc. sing. Apulei.

Tarentum Cic. etc. — *Tarentus* fem. Mela, Flor. etc.; cf. Neue 634.

Tigronocerta neutr. plur. Tac. ter. — *Triganocerta* fem. Plin. Tac. Frontin.

tractum Cato, Apic. — *tracta* fem. Plin. Apic. Pelagon. vet.

triclinium Naev. com. 81 etc. — ,*triclinia* faciatur' Petr. 71. Studemundus tamen M. Rhen. 2, 77 et Roensch 435 hoc loco ad similitudinem linguae Graecae verbum faciendi numero singulari enuntiatum esse censent.

vertibulum Lactant. — *vertibula* Auson. ,vertibulae' Cod. optimi Isidor. or. 11, 1, 87. ,vertebellas' Ebrard. Betun. graecism. cap. 12. ,vertevelle cardo' Gloss. gall.-lat. ,les vertevelles' Littera a. 1398. Vocabulum a verbo vertendi derivatum postea, quasi a ,vertebra' fictum esset, inter feminina relatum est.

zizania graec. Augustin. Prudent. Vulgata, Ambros. scriptores medii aevi saepe. — *zizania* fem. Augustin. serm. 134 n. 2, 3 Mai. ,zizaniae' genet. Epist. Vigilii papae a. 545 Bouq. 4, 61 D. ,zizaniam seminare' p. 62 C., Epist. a. 546 p. 65 C. ,zizania quam' Isid. orig. 17, 9, 106. ,zizaniam' Agnell. c. 92. ital. ,zizzania' fem. hisp. ,zizaña'. franc. ,zizanie' fem

d. Neutra medio aevo in feminina conversa.

ablatum medii aevi scriptores; cf. Cang. — ,eius communem talliam et *ablatam*' Tabular. Fossatense a. 1173. (ital. ,biada' etc.; cf. Diez Et. Wörterb. 51.)

aedificium Plaut. etc. — ,*aedificia* compleatur' Mon. Veneta 2, Docum. 2, 15 a. 829. ,quae haedificia structa est' Agnell. c. 50, qui praeter hunc locum neutro ubique utitur. ,cum aedificias' Marini 153 a. 852 etc.

alium Comici etc. — ,haec *allea*' Stokes Irish Gl. p. 4 n. 31.

antitheton graec. Pers.; cf. Weise 344. — ,*antitheta* opposita locutio' Mai thes. nov. Lat. p. 51.

appendicium Hieron. Cael. Aurelian. — ,omnis adjacentias vel *appendicias*' Charta Caroli Martel a. 722 Bouq. 4,699 C. ,cum omni appendicia' Diploma Conradi reg. Burgund. a. 963 Bouq. 4, 700 B.

arma plur. tantum Plaut. etc. — ,de *arma*, armam suam' etc. Lex Rotharis Longob. tit. 37. ,inermis sine arma' Dosith. magister in Gloss. ,armam' acc. Gesta regum Franc. c. 10 circa a. 725. ,cuius arma est' Lex Burgund. tit. 18 §. 3. saepius medii aevi scriptores; cf. Cang.; ,armas' acc. plur. Pactum a. 1115 Esp. Sagr. 50, 384. ,armas non portare' Charta, saeculo 12. scripta, Esp. Sagr. 35, 416. ital. hispan. ,arma'. franc. ,arme'.

armarium Plaut. etc. — *armariam* acc. Schol. Juven. sat. 3, 219. ,de armaria' Wilhelm. Constitut. Hirsaugens. 2,16 etc.; cf. Cang.

arva plur. cf. p. 23. — *arva* fem. cf. pag. 48.

athlon graec. Varro sat. men.; cf. Weise 355. — *athlas* acc. plur. Schol. ad Verg. georg. 3, 4 ap. Mai gloss. nov. Lat. p. 5.

bellum Plaut. etc., ,bella' plur. cf. p. 23. — ,versus de *bella*, quae fuit acta Fontaneto' Titulus carminis Angelberti post Nithardi historiam p. 55 Pertz editi. cf. ,bella quas' Andreas Bergam. c. 1. extrem. ,sine bella commissa' Agnell. Script. Long. 302, 23.

biblia graec.; cf. p. 42. — *biblia* fem. Chron. Trivetti ad a. 1228. Liber de imitat. Christi; cf. Cang.; franc. ,bible'. germ. ,bibel' fem.

bissacium Petron. — *bissacia* fem. Gloss.; cf. Georg.

bona plur. Plaut. etc. — ,aurum et argentum, quod vulgo dicitur *bonas*' Usat. Barcinonens. c. 106. prisc. hispan. ,buena'.

calceamentum Cic. etc. ‚calceamenta' Colum. etc. — *calciamentas* acc. plur. Agnell. c. 70, qui plurali ‚calceamenta' c. 170 utitur. prov. ‚caussamenta'. prisc. franc. ‚caucemente' fem.; cf. Saint-Palaye, Dictionnaire historique de l'ancien langage françois.

campanea cf. p. 30. — *campania* fem. Greg. Turon. hist. 4, 17, de votis patr. c. 7. Charta a. 874 in Acheri Spicileg. Epitome ex Pauli historia II Scr. Long. 196, 28. Mon. Veneta 2, 218 a. 1064 etc. ital. ‚campagna'. hispan. ‚campaña'. franc. ‚champagne' et ‚campagne'; cf. Diez Et. Woerterb. 82.

carchesium graec. Liv. Andr.; cf. Weise 369. — *carchesia* Gloss. ap. Cang.

castellum Cic. etc. — *castellas* acc. plur. Chron. Novaliciense p. 69. ‚castellas has' Vit. S. Genovevae. ital. plur. fem. ‚castella'.

cerebellum Titin. etc. — *cerebellas* acc. plur. Versio libri Galeni ad Glauc., inter 6. et 8. saeculum composita, 1, 23. ‚cervella' fem. Lex. Alem. et Lex Bajuv. saepius. ital. ‚cervella' plur. venet. ‚cervella'. franc. ‚cervelle' etc. Masculino quoque genere ‚cerebellum' ad linguas Romanicas pervenit.

chronica graec. Plin. nat. hist. — *chronicae* plur. Greg. Turon. ‚chronicas' acc. plur. idem in prologo. ‚chronicae' genet. Chron. Mon. Casin. I c. a. 1075. ‚chronicas' acc. plur. Charta episc. Narbon. Bouq. 2, 719 C, saepissime medii aevi scriptores; cf. Cang.; ital. ‚cronica' fem. hispan. ‚cronica' fem., ‚cronico' masc. franc. ‚chronique'. germ. ‚chronik' fem.

claustra plur. tantum; cf. Neue 459. — *claustra* fem. Vita S. Anskar., Ludovico Germanico rege composita, Mon. Germ. Scr. 2, 692, 47. Epistola Romani papae a. 897 Bouq. 9, 206. Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 90 a. 898. 152, 153 a. 943 etc. Conventio a. 927 Esp. Sagr. 18, 328 etc. ital. ‚chiostra'. prisc. hisp. prov. ‚claustra' etc.

clausum Lucr. Cic. etc. — ‚*clausas* Alpium' acc. plur. Ann. Laurissenses minores a. 774 Mon. Germ. Scr. 1, 117. ‚clusas' bis Chron. Moissiac., a. 775 compositum, Mon. Germ. Scr. 1, 294. 295 etc. ‚clausas Francorum quas' Vita Stephani II papae Bouq. 5, 435 D. ‚clusae clusurae' Gloss. ap. Forc. ‚cum clausa Gradensi' Mon. Venet. 2, Docum. 2, 153 a. 1027. hisp. ‚llosa'. lusit. ‚chousa'. germ. ‚klause' fem.

comitia Plaut. etc. — *comitiae* plur. Gloss. Labb. Gloss. Isid.

companium Lex Sal. — *compagnia* fem. Ann. Genuens. a. 1162 Bouq. 12, 356 C. Mon. Germ. Leg. 2, 182, 22 a. 1186. Mon. Hist. Patr. Leg. Mon. Genuae col. 241 sq. saepissime. franc. ‚compagnie' fem. etc.; cf. Diez. Et. Wörterb. 106.

corallium graec. Lucr. etc. — *corrallius* fem. Isid. orig. 16, 8, 1.

cymbalum graec. Lucr. etc., plerumque plur. — *cymbalas* acc. plur. Sentent. a. 1208; cf. Cang.

datum (i. e. donum) Plaut. etc. — ‚*data* tributum, vectigal' Gloss. vet. ‚datae' Statuta Delphinal. ‚data' de donatione extremo medio aevo. prisc. franc. ‚date' de fructu fem. — ‚data per manus' Marini 3 a. 665 sq. ‚data in mense Julio' etc. Bouq. 5, 704 E. a. 759 sq., saepissime Chartae medio aevo scriptae, ‚datum' multo rarius. ‚data' fem. de tempore, quo aliquid scriptum est, saepe, velut Concil. Lugdun. 3 can. 2; cf. Cang.

debitum Cic. etc. — *debita* Mai thes. nov. Lat. p. 268. nonnunquam a saeculo 12.; cf. Cang. Nescio, an ‚pecunia' subaudita sit. hisp. ‚denda'. franc. saec. 16. ‚debte' comm., nostra aetate ‚dette' fem.; cf. Darmesteter 1, 247.

dictum Plaut. etc. ‚dicta' plur. saepissime. — ‚tantas *dictas*' Judic. inter episc. Lingon. et ducem Burgund. a. 1153. hisp. ‚dicta'. lusit. ‚dita'.

donum Plaut. etc. — ‚*dona* fiat' Testam. a. 1263, cf. ‚pro dona liberanda' Capit. Caroli Calvi ap. Cang. ‚la donne' Cont. de Lille art. 59.

exemplum Plaut. etc. — *exempla* fem. saepius Ann. Bened. ap. Mab. 2, 705. prisc. franc. ‚essemple' fem.; cf. Ampère 49. Darmesteter 241. 248.

fastidium Plaut. etc. — ‚*σικχασία fastidia*' Gloss. Cyrill. 608, 58. ‚*ὑπεροχή* fastidia' 645, 36. ‚*ὑπερηφανία* fastidia, fastidium' 645, 4.

festum Hor. etc.; cf. p. 24. — ‚per omnem *festam*' Laus Pomp. 151 a. 1147. ‚per omnem festa' 169 a. 1149. ‚per homne festam' 178 a. 1152. ‚tres festas' Stephan. fragm. hist. Aquit. 4, 19. ital. ‚festa'. hisp. ‚fiesta'. franc. ‚fête'.

filum Plaut. etc. ‚fila' plur. cf. p. 24. — fem. de spatio terrae: ‚novem *filas* ad salem faciendum quas'. ‚alie tres filas' Privil. Caroli Magni a. 790 Marini 186. ital. ‚fila'. hisp. ‚hila'. franc. ‚file' fem. etc. franc. ‚fil' etc. masc. sensu di-

verso; cf. Diez Et. Wörterb. 139. — ‚filiola' fem.; cf. Cang.; hisp. ‚hijuela'.

folium Plaut. etc. — *folia* nom. fem. Isid. orig. 17, 9, 105. neutr. idem saepius. fem. Dynam. 1, 21. 28. 2, 9. 10. Gloss. sang. hisp. ‚hoja'. franc. ‚feuille'; cf. Pott, Kuhns Zeitschr. I.

fundibulum Vulg. etc. — *fundibulas* acc. plur. Capit. Caroli a. 813. prisc. franc. ‚fondefle' fem. — hisp. ‚fundibulo'.

gaudia plur. cf. p. 17—21. — ‚eternam gaudia' Marini 49 a. 962. ital. ‚gioja'. hisp. ‚joya'. prov. ‚joia'. franc. ‚joie' fem. Vita S. Katharinae Poitering. ‚mon joi' 2332. ‚cort joi' 944. fem. ‚joia' semel, metro urgente.

gesta plur. Nep. etc.; cf. Mus. Rhenan. 37, 89 sq. — ‚hanc *gestam*' de historia Versus vitae Caroli ab Einhardo scriptae subjecti vel antepositi in cod. Moissiac. et Caesareo. ‚gestarum librum' etc. Guilelm. bibliothecar. in Stephano; cf. Cang. (‚gestam' acc. de loco Mon. Hist. Patr. Leg. Genuae a. 1148 p. 241 sq. saepius.) ital., prisc. hisp., lusit. ‚gesta'. prisc. franc. ‚geste' fem.

granum Plaut. etc. ‚grana' plur. cf. p. 41. — *granas* acc. plur. Andr. Bergam.; cf. Bethmann, Archiv fuer Geschichte IX; ‚grana oppressas' Oribas. 2, 5. hisp. lusit. ‚grana'. franc. ‚graine'. ital. ‚grano', plur. ‚grana' et ‚grani' diversa significatione etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 171.

homicidium Cic. etc. — ‚*homicidias* multas' Chron. Altinat. ‚homicide' comm. franc. saec. 16.; cf. Darmest. 251.

horreum Plaut. etc. — ‚de *horrea* expellere' Gregor. Turon. hist. Franc. 4, 34. 10, 1. ‚horria ἀποθήκη' Gloss. lat.-graec. p. 322 Vulc.

‚inferendum εἰσκομιστέον' Gloss. lat. graec. ‚inferendo' abl. Pardessus 463 a. 705. — ‚*inferendas* sumere' Pard. 372 a. 674. ‚inferendam' acc. 463 a. 705. nescio an ‚pecunia' subaudiatur.

jaculum Sisenna etc. — *jacula* fem. Marten. de ritibus eccl. Gloss. lat. gall.; cf. Cang.

judicium Plaut. etc. — ‚omnium *judicias* faciendas et deliberandas' Laus Pompeja 34 a. 991. ‚judiciarum' gen. plur. Chron. Alt. 34, 28. — ital. ‚giudicio' masc.

jugerum Lucr. etc. — *jugeras* acc. plur. Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 566 a. 1047. 610 a. 1065. 627 et 628 a. 1071. ‚ju-

geram' acc. sing. 754 a. 1123. franc. ‚jugère' fem. — ital. ‚jugero'.

jugum Plaut. etc. — *juges* plur. ter. ‚jugias' bis Laus Pomp. 6 a. 761. ‚juges duas'. ‚jugias' Mon. Venet. 2, Docum. 2, 36 a. 896, saepissime in chartis italicis. — ital. ‚giojo' masc. — (cf. vocabulum compositum ‚bijuga' et plur. ‚bigae' fem.)

lignum Plaut. etc. — ‚de *ligna*' Charta a. 850 Ravennae scripta. ‚lignas' acc. plur. Mon. Ravenn. in scripto inter saec. 7. et 10. composito. ‚excepto herba, aqua et ligna' Capit. Pippini a. 768 Mon. Germ. Leg. 2, 14, 8. ital. ‚legna'. hisp. ‚leña'. lusit. ‚lenha'.

lilium Varro etc. — *lilia* fem. videtur esse ap. Isid. orig. 17, 9, 18; cf. p. 39; ‚liliam' acc. Inventar. a. 1295 ap. Cang. Romanicis plerisque masc. est, fem. in lingua Rhaetiae Curiensis ‚giglia'. germ. medio aevo ‚gilge' etc.

maleficium Plaut. etc. — ‚ad *maleficias*'. ‚maleficiam' acc. Lex Long.; cf. Pott, Kuhns Zeitschr. 13, 29. — ital. ‚maleficio' etc.

mancipium de homine Plaut. etc. — *mancipias* acc. plur. Praecept. Lothar. reg. a. 856. Rozière 224; cf. Pott, Hoefers Zeitschr. 3, 127; hisp. ‚mancebo' et ‚manceba'.

mantum et ‚mantus' quartae declinationis Prob. Isid.; cf. Georg. — *manta* Charta hisp. aerae 818. ‚mantum unum'. ‚mantas duas' Charta a. 1032 Esp. Sagr. 19, 395. hisp. provinc. ‚manta'. franc. ‚mante'; cf. Diez Et. Woerterb. 203.

maritima plur. cf. p. 29. — ‚*maritimam*' acc. de mare Oger. ann. Genuens. ad a. 1202. ‚maritimae' agri ad maris littora siti Charta Henrici VII. ‚maremmam' acc. Pact. inter Pisan. et Arelat. a. 1221. ital. ‚maremma'. prisc. franc. ‚marenne'; cf. Diez Et. Woerterb. 2^3, 44.

membrum Plaut. etc. — *membras* acc. plur. Gloss. Casel. saec. 7. pag. 38 ad voc. ‚membras'. ital. plur. ‚membri' masc. et ‚membra' fem. significatione diversa.

merita cf. p. 42. — ‚ab omni *merita*' Charta a. 1260 in cod. Paris.; cf. Cang.; ‚mérite' comm. prisc. franc.; cf. Ampère p. 50 et Mercier.

millefolium Plin. etc. — *millefolia* fem. Stokes Irish Glosses p. 8 n. 178.

milliarium Plin. etc. — *miliarias* Chron. Altin. 39, 5. 13.

‚miliaria' neutr. in eodem saepe. roman. saec. 14. ‚migliara'. ital. ‚migliajo', plur. fem. ‚migliaja'.

modium Cato r. r. etc. ‚modia' plur. Plin. de med. ‚modium unum' nomin. Capit. Caroli a. 813 n. 8. ‚modia dua' Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 56 a. 875. ‚modia' 712 a. 1094. Laus Pomp. 181 a. 1153. — *modias* acc. plur. Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 781 a. 1138. ital. ‚moggio', plur. fem. ‚moggia'. — ‚modios' acc. plur. saepe Chartae italicae illius aetatis. franc. ‚muid' masc. etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 216.

monasterium graec. Augustin. etc. — *monastirie* genet. Pardess. 410, 26 a. 688, saepissime; cf. Schuchardt 2, 88. Arbois 39; ‚in predictas monasterias' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 13 a. 829.

montana plur. cf. p. 30. — *montanae* Broccard descr. terr. sanct. Petr. de Vin. ep. 3, 55. Inde fictum est ‚montanea', a quo derivata sunt franc. ‚montagne' fem., ital. ‚montagna', hisp. ‚montaña'.

novum. ‚quidquam novi' Comici etc. ‚nova' Liv. Tac. — *nova* nom. sing. Ann. Genuens.; cf. Cang.; ital. ‚nuova'.

olivetum Cic. etc. — ‚cum *olivetas*' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 46 a. 914. ‚tres olivedae' ter Charta a. 1320; cf. Cang.; prisc. franc. ‚olivaie'.

organum graec. Vitr. etc.; cf. Weise 474. — *organa* fem. Ann. Francorum a. 759; cf. p. 33.

orgia graec. Plaut. etc. plur. tantum. — *orgias* acc. plur. (i. e. preces) Anastas. in epitome Chron. Casin., ante a. 886 composita; cf. Cang.; franc. ‚les orgies' fem.

otium Plaut. etc. ‚otia' plur., sensu non postulante, Val. Flacc. 1, 500. Epist. Pauli Scr. Long. 16, 10 a. 783. — ‚cum *otia* fuerit' Agnell. 62.

ovum Enn. etc. — *ovas* Mon. Rav. 89 a. 870. cf. ‚ipsarum ovorum' Oribas. 20, 16. — ital. ‚uovo' masc. etc.

palatum Varro, Sen. etc. — ‚palatus' Cic. de fin.; cf. Neue 537. — *palatham* acc. Hisper. Fam. p. 483.

Palatium Cic. etc. ‚palatium' (i. e. aedes) Ovid. etc. — ‚palatie nostre' genet. Tardif 44, 17 a. 710 etc.; cf. Arbois p. 39. Dubitari potest, num femininum sit. — franc. ‚palais' masc.

pallium Plaut. etc. — *pallias* acc. plur. Mon. Venet. 2, Doc. 2, 23 a. 853. ‚diversa pallias' Agnell. Scr. Long. p. 368, 10. idem ‚pallia' plur. c. 143. ‚palliarum' genet. plur. Pardess. 435 a. 696. — ‚paleola' fem. medio aevo; cf. Cang.; ital.

‚paglivola'; cf. Mirisch, Geschichte des Suffixes olus in den roman. Sprach. diss. Bonon. 1882.

paratum substantiv. Tertullian. — *paratas* acc. plur. saepissime Chartae franc. ‚ullas paratas' Chart. Dagoberti III a. 713 Bouq. 4, 689 A., ‚parata' acc. plur. ibidem. ‚paratas faciendas' Dipl. Pippini Bouq. 5, 699 C. plurima exempla affert Cang. Dicitur praecipue de sumptibus, quae fiunt, ut aliquis cum honore recipiatur.

pastoforium graec. Hieron. Gloss. Isid. — ‚*pastoforia* cella' Gloss. Amplon. ‚pastoforie parve domus' Loewe prodr. gloss. 159.

peccatum Plaut. etc. — ‚minuta quod est *peccata*' Chron. Altin. 54, 6. — ital. ‚peccato' masc.

peculium Plaut. etc. — *peculias* acc. plur. Pardess. 457 a. 703.

pensum Plaut. etc. — *pensa* Stokes Irish Gloss. p. 9. n. 245.

persicum graec. Plin. etc. — *persicae* Wilhelm. constit. Hirsaug. Letaldi mirac. S. Maximi Uliacens.; cf. Cang.; ital. ‚persica'. franc. ‚pêche' etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 242.

pittacium graec. Laber. etc. ‚pitacium vel pitaciola' Gloss. Pap. — ‚*petatia* et petatiola modica pars chartae. pictaciae epistola brevis' Gloss. ibidem. ital. ‚petecchie' fem. hisp. ‚petequias'. franc. ‚pétéchies' fem. plur.

placitum Sen. etc. — ‚per plures *placitas*' Laus Pomp. 17 a. 915. ‚placitas plures' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 96 a. 981.

plumbum Cato etc. — ‚haec *plumba*' fem. Stokes Irish Glosses p. 5 n. 60.

praemia cf. p. 21. — *praemias* acc. plur. Lex Romana Utin., initio saeculi 9. composita. ‚sine omni datione vel premia' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 352 a. 1092. prisc. hisp. ‚premia'. franc. ‚prime'. germ. ‚praemie'.

praesidium Plaut. etc. — *praesidia* fem. Rozière 253 formula ante saec. 11. scripta.

pratum Plaut. etc. ‚prata' neutr. plur. non raro in chartis italis. — *pratas* acc. plur. Gloss. Casel. saec. 7. pag. 38 ad voc. ‚membras'. ‚pratam' ter Pardess. 15 a. 702, cf. ‚ad villam Pratellas' 300 a. 642. ‚pratae' nom. plur. Vita S. Galli, circa a. 759 scripta, Mon. Germ. Scr. 2, 19, 6. ‚pratas' acc. plur. Laus Pomp. 5 a. 761. Mon. Venet. 2, Doc. 2, 13 a. 829. ‚pradas' Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 47 a. 867. ‚suprascriptas pratas' Laus Pomp. 12 a. 885. ‚istas duas pratas' Mon. Hist. Patr.

Chart. 1, 247 a. 976, saepissime in chartis italis. ital. ‚prato', plur. fem. ‚prata'. in lingua Rhaetiae Curiensis ‚prau' masc., plur. fem. ‚prada'. prisc. franc. fem. ‚pré'; rec. franc. ‚pré' masc.

proastium graec. Exc. Vales. 14, 83 extr. — *praestias* acc. plur. Agnell. 123.

prunum Verg. etc. — ‚majoris *prunae*. pro minori pruna' Wilhelm. constit. Hirsaug. 1, 10. franc. ‚prune'. val. ‚prunę'.

prunulum Fronto etc. — *prunellas* acc. plur. Hist. episc. Autisiod. cap. 20. franc. ‚prunelle' fem.

reticulum Claud. Quadrig. etc. — ‚haec *reticula*, reticulae i. e. parvum rete' Gloss. ap. Quicherat. ‚rete, reticula δίκτυον' Onomast. lat. graec. ‚reticula mitra capitis' Gloss. lat. gall. etc. ‚reticella' Gloss. ap. Forc.; fictum est a fem. ‚retis'; cf. pag. 67; ital. ‚reticella'. — franc. masc. ‚reseau'.

ruscum cf. p. 55. — *rusca* fem. Charta a. 781. ‚de rusca' pro apium cubili Charta a. 1080 etc.; cf. Cang.; lusit. fem. ‚brusca'. — ital. masc. ‚brusco'. franc. ‚brusc'.

sabanum graec. Pallad. etc. — ‚haec *sabana*' fem. Gregor. Turon. hist. Franc. 5, 2. Mai thes. nov. Lat. p. 535. ‚sabâna sindonis, sabanus manistergium' Gloss. ‚novem sabanas' Testam. a. 969 Esp. Sagr. 18, 337. hisp. ‚sabana' etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 278.

sacramentum Varro etc.; cf. p. 27. 42. — ‚recepta *sacramenta* abiit' Chron. Novalic. p. 46. ‚terra pacificata et sacramenta data' Andr. Bergam. 5. ‚sacramenta quas dederat irrita fecit' 9. ital. ‚sagramento', plur. fem. ‚sagramenta'.

sandalium graec. Ter. eun. 1028 etc. — ‚*sandalias* quas' Agnell. 170. franc. germ. ‚sandale' fem. hispan. ‚sandalia' fem., ‚sandalo' masc.

scandalum graec. Tertull. etc. — *scandalas* acc. plur. Mon. Hist. Patr. Leg. 248 medio saec. 12. prisc. franc. ‚esclandre' fem. — ital. ‚scandalo'.

signa (scl. militaria) plur. saepissime Cato etc. ‚signa fecerunt' saepissime Chartae, velut Marini 198 saec. 6. de sigillis. — ‚suas *signas*' Sententia a. 878 Esp. Sagr. 16, 425. ‚ibi signa factum sit. per signas certas' Charta episc. a. 921 Esp. Sagr. 18, 321. cf. ‚signa quas' Oribas. 14, 23. ‚signia quod ponimus' Chron. Altin. 8, 6. hispan. provinc. ‚seña'. lusit. ‚senha'. — franc. ‚signe' masc. ital. ‚segno'.

stabulum Plaut. etc. — ,quandam *stabulam*' acc. Tab. Calens. a. 1273. — prisc. franc. ,étable' masc.

stabularium Colum. etc. — *stalaria* de arborum horto Lex Long. etc.; cf. Cang.; ,stallarias' acc. plur. Mon. Hist. Patr. Chart. I saepius, velut 489 a. 1030.

statutum Lactant. etc. — ,haec *statuta* permansit' Agnell. c. 61. ,statuta' acc. plur. c. 124. ,statutae suae' Johann. chron. Venet. 7, 10. neutr. plur. 11, 25; fem. Chron. Gradense Scr. Long. 393, 24. ital. masc. ,statuto', fem. ,statuta'.

stillicidium Lucr. etc. — ,*stillicidia* σπαλαγμός' Exc. Sang. ap. Labb. 1, 201.

telum, plur. ,tela' Plaut. etc. — ,omnem *telam* et jaculam inimicam' Ordo ad eccles. dedicand. ap. Cang.; neutrum ,tela' cum feminino ,tela' confusum est.

territorium Varro etc. — *territoriae* Charta a. 1000 Mur. 1, 337. ,territorias' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 211 a. 1060, saepe chartae italicae. — ital. ,territorio' etc.

testimonium Plaut. etc. — *testimonias* acc. plur. Charta Adefonsi VI. Esp. Sagr. 35, 412. ,aliquam testimoniam' 413. ,ipsas suprascriptas testimonias'. ,testimonias' ibidem. prisc. ital. et hisp. ,testimonia'; cf. Diez Gramm. 23; ,la testimonie' L. de Guill. 14.

tormentum Plaut. etc. — *tormentas* acc. plur. Formul. Andeg. ante a. 722 Rozière 49. ital. ,tormenta'. franc. ,tourmente' masc. et fem. significatione distincta.

trinundinum Cic. etc. — *trinundinae* plur. Gloss. Pap.; cf. ,nundinae'.

vasculum Plaut. etc. — *vasculas* acc. plur. Chron. Altin. 55, 14. Mon. Venet. 2, Doc. 2, 335 a. 1091. — ital. ,vascolo'.

vela navium Plaut. etc. saepissime. — *velas* acc. plur. Littera Salladini pro Pisanis. franc. ,voile', ital. ,vela'. — franc. ,voile' masc. ital. ,velo' significatione diversa.

verenda plur. Chron. Noval. p. 97. Richer. 1, 18. 3, 109. — ,*verendam* amputare' Johann. chron. Venet., ante saec. 12. scriptum, p. 21, 17. Nescio an ,pars' subauditum sit?

vestimentum Plaut. etc. — *vestimentam* acc. Charta a. 916 Esp. Sagr. 34, 411. hisp. provinc. ,vestimenta'. ital. ,vestimento', plur. fem. ,vestimenta'. — franc. ,vêtement' masc.

vitrum Sen. etc. — *vitra* ablat. Gregor. Turon. hist. 6, 10

‚vitra' pro fenestra vitrea nomin. sing. Chron. Bernens. ad a. 1214. — franc. ‚verre' masc.

vivenda. ‚vianda cibi' Gloss. provinc. lat. — ‚excepto *vivenda* et fodro, quod necessaria sunt' Capit. Car. Magni a. 803 n. 2. ‚de vivanda' Charta a. 1242 etc.; cf. Cang.; ‚vianda' nom. sing. Obert. ann. Genuens. ad a. 1164. ‚pro vianda. ad viandam' Statut. Massil. ‚viandarum' genet. plur. Charta Remens. a. 1217; cf. Cang.; franc. ‚viande.' provinc. ‚vianda' etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 698.

vocabulum Plaut. etc. — ‚per *vocabulas*' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 4 a. 673. ‚per locas et vocabulas' 135 a. 1015 etc. — ital. ‚vocabolo' masc.

zizyphum Plin. etc. — *zizyphas* acc. plur. Sebast. Perus. vita Columbanae Reatinae, Mai 5, 342. hispan. ‚juguba' etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 166. Weise 543.

2. Neutra tertiae declinationis in feminina conversa.

a. prisca aetate.

diadema neutr. Cato orig. Cic. Hor. Liv. etc. — *diadema* fem. Pompon. Apul. ‚diademas aureas' Chron. Altin. 36, 9 a. 1004. ital. hisp. ‚diadema' comm. franc. ‚diadème' masc.

glaucoma graec. Plin. Veget. Prudent. — *glaucumam* acc. Plaut.

schema neutr. Naev. etc. — *schema* fem. Plaut. Caecil. etc.; cf. Neue 326; ‚indutus schema angelica' Agnell. Scr. Long. 300,35.

syrma neutr. Sen. Juven. etc.; cf. Weise 529. — *syrma* fem. Afran. Valer. com. Cornel.; cf. Neue 327; ital. ‚sirima' etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 400.

Vocabula Graeca, quae in ‚ma' desinunt, feminino genere enuntiantur et priscis temporibus et ab initio primi post Christum natum saeculi apud eos solos Romanorum scriptores, qui a sermone vulgari non prorsus alieni sunt.

b. aurea aetate.

τὸ κόμμι. ‚gummi' Cato etc. — *cummis* fem. Cinna etc.; cf. Neue 555.

dogma graec. Cic. etc. — *dogmam* acc. Laber. ‚dogmatis tuae' Lucifer Caralitan. pro Athanas. 2 p. 928. ‚dogma' fem.

Hist. Long. cod. Goth. 3 Scr. Long. 8, 31. Agnell. c. 100 extrem. — ital. ‚dogma‘ masc.

erisma graec. ‚erismorum‘ genet. plur. Vitr. — *erisma* fem. Vitr. etc.

Praeneste neutr. Cic. Hor. Verg. Liv. etc. — fem. Verg. Juven. etc.; cf. Neue 634.

rete Plaut. etc. — ‚retis‘ fem. Varro etc. ‚retis‘ masc. Charis. Itala; ‚retium‘ neutr. Gloss. Labb. — *retia* fem. Ital. saepius; cf. Roensch 259; Schol. Juven. Ammian. Lex Sal.; cf. Neue 543. 676 etc. Cang.; ital. ‚rezza‘; cf. Diez Et. Woerterb. 393.

c. argentea et posteriore aetate.

aetoma graec.; cf. Weise 331. — *aetoma* fem. Corp. Jnscr. 3, 1174. 1212; cf. Ott in Fleckeis. ann. philol. 1874, 788.

anathema graec. Tertullian. etc. — *anathema* abl. Lucif. Caralit. de n. conv. p. 192. ‚in suprascripta anathema‘ ablat. Mon. Venet. 2, Doc. 2, 47 a. 914. — ital. ‚anatema‘ masc. etc.

apozema graec. Theod. Prisc. Plin. Valer.; cf. Weise 347. — *apozema* fem. Oribas.

beta graec. Martial. — *betae* genet. Auson.

cataplasma graec. Cato, Lucil. — *cataplasma* fem. Pelag. vet. 14 p. 61. 16 p. 63 etc. ‚cataplasmam validam‘ Gregor. Turon. hist. Franc. 6, 15; cf. Weise 370.

ceroma graec. Sen. etc. — *ceromas* acc. plur. Arnob.

cicer Plaut. etc. — *cicera* de planta, quae illi similis est, quamquam ab ea diversa, Col. 2, 7 §. 2, ubi §. 1 ‚cicer‘ antecedit. — ‚cicercula‘ dimin. de parvo cicere saepius Colum. Pallad., saepe Plin. ‚cicerxias‘ acc. plur. Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 904 a. 1180.

crocomagma graec. Cels. Plin. etc. — *crocomagma* fem. Veget.; cf. Neue 327.

crus Plaut. etc. — ‚*cruras* superiores‘ Cod. Lugdun. Pent. 218, 16.

cyma graec. (germ. ‚keim‘) Lucil. Col. — *cyma* fem. Cels. Col. Plin. nat. hist. Edict. Diocl. cf. Char. 56, 8. ‚cymas‘ acc. plur. Isid. orig. 7, 6, 20. ital. hispan. lusit. ‚cima.‘ franc. ‚cime‘ fem. etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 99.

delta graec. Mela etc. — *deltae* genet. Auson.

digamma graec. Cic. etc. — ‚digammos‘ nomin. Terent. Maur. etc. — *digammae* nom. plur. Sergius; cf. Neue 576. 645.

emblema graec. Lucil. etc.; cf. Weise 411. — ,Latini dicebant haec *emblema*' Pompej. comment. K. 5, 197.

phlegma graec. Pallad. Oribas. — *flegma* fem. Oribas. 14, 26. 17, 33. ital. ,flemma' comm.

fortia de rebus fortiter gestis Commodian. apol. 571. de ipso robore ,demonstravit fortia' v. 40. ,inanivit fortia mortis' 312. ,fortia infortunii demonstraturus' Hist. misc. 26, 6. — ,*fortiam* facere alicui' Les Ripuaria. ,per suam fortiam' Lex Longob. etc. ,per fortiam factum' Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 62 a. 880. franc. ,par force'; ,fortias facere' Mon. Veneta 2 ,Doc. 2, 36 a. 898. ,cum forza' Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 765 a. 1130. ,fortia' fem. saepissime medio aevo vario sensu, cf. Cang. Plerumque pro ,vis' positum est, quod vocabulum, cum nimis breve esset, una cum ,vir' paulatim extinctum est. ital. ,forza'. hisp. ,fuerza.' provinc. ,forsa'. franc. ,force'; cf. Diez Et. Woerterb. 146.

gamma graec. — *gamma* fem. de agro Gromat. etc. ,gammae' genet. de littera Auson. ,gammas' acc. plur. de ornamentis Charta a. 1019; cf. Cang. — ,gamella' fem. Anecd. Helvet. 96, 3.

inguen Lucil. etc. — *inguina* fem. Oribas. 9, 23. 25. ,inguina fem. contusum inguen' Isid. 4, 6, 19.

iota graec. Cic. — *iotae* genet. Auson.

lambda graec. Capella etc. — *lambdis* Versio Iren. 1, 13 etc.

malagma graec. Cels. Colum. etc. — *malagma* fem. Veget. saepe. Pelag. vet. Concil. Tolet. 16, 4.

manna de cibo Vulg. plerumque neutr. — *manna* fem. Hieron. Sulpic. Sever.; cf. Neue 579; ,manna decima' Mon. Rav. 1, 17. 18.

mare Liv. Androu. etc. — *maris* nomin. generis incerti Corp. Jnscr. 3, 1899. Cod. Lugdun. Pentat. 247, 41. 262, 38.

,os, ossis' Plaut. etc. ,ossum' Gell. etc.; cf. Neue 564. — ,osses' fem. Itala. *ossarum* genet. plur. Oribas. 21, 16. ital. ,osso', plur. ,ossi' et ,ossa' significatione distincta. in lingua Rhaetiae Curiensis sing. ,iess' masc., plur. ,ossa' fem. franc. ,os' masc.

pascha graec. indeclin. Tertullian. Augustin. — *paschae* fem. plur. Tertull. saepe, Augustin. etc. ,pascha' sing. Tertull. Greg. Turon. hist. Franc. 6, 27. Versus a. 781 Bouq. 5, 401 D, saepissime apud medii aevi scriptores, qui tamen neutro

‚pascha' non rarius utuntur. ital. ‚pasqua' etc. franc. ‚Pâques' de Christianorum diebus festis comm., ‚pâque' de Judaeorum fem.

plasma graec. Verg. — *plasmae* genet. Commod. apol. 311. ‚plasmas' acc. plur. Hisper. Fam. 481 Mai. ‚ab hac plasma' Vita S. Galli Mon. Germ. Scr. 2, 11, 42 etc.; cf. ‚cataplasma' pag. 67.

rheuma graec. Veget. etc. — *rheuma* fem. Oribas. ‚fluor reumae' Isidor. 4, 7, 11. provinc. ‚rauma'. ital. ‚rema.' franc. ‚rhume' fem.

sagma graec. Edict. Diocl. — *sagma* fem. Itala, Veget. ‚sagma, quae corrupte vulgo salma dicitur' Isid. orig. 20, 16, 5. ‚omnes sagmas' Hincmari Remensis ann. ad a. 876 Mon. Germ. Scr. 1, 501, 49. ital. ‚salma, soma'. hisp. ‚salma'. provinc. ‚suma.' franc. ‚somme'; cf. Diez Et. Woerterb. 280.

sesquiopus Plaut. — *sesquiopera* fem. Colum.; cf. ‚operae' pag. 49.

sinapi neutr. graec. Enn. etc. — *sinapis* fem. Colum. bis, Scribon. Larg. Isidor. ital. ‚senape' fem. etc.; cf. Weise 517.

synchrisma graec. Veget. Pelag. vet. — *synchrisma* fem. Veget. bis; cf. Neue 327.

Zeugma urbs Lucan. Plin. etc. — ‚ex civitate *Zeugma*' Corp. Inscr. 3, 4431.

d. neutra tertiae declinationis medio aevo in feminina conversa.

In his insunt multa vocabula in ‚alia', nonnulla, quae de locis dicuntur, in ‚entia.'

abaddir indeclin.; cf. Neue 579. — ‚*abadera*, abadir' Diefenb.

adjacentia plur. de regionibus finitimis Tac. ann. 1, 79. Plin. nat. hist. 37, 137 etc. — (‚adjacentia' fem. de voluntatis facilitate Augustin.) — ‚cum omnibus *adjacentiis*' Diplom. Childeberti I a. 545 Bouq. 4, 620 D etc. Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 22 a. 774 etc. Charta a. 886 Esp. Sagr. 17, 244. ‚adjacentias' acc. plur. Charta Chlotari Mar. 106 a. 658. Esp. Sagr. 28, 248 a. 888. ‚adgecencias suas' Charta Chlotari Mar. 102 a. 659 etc. ‚cum omni adjacentia' Charta Caroli a. 778 Mar. 104. Esp. Sagr. 34, 454 a. 950. saepissime in chartis medio aevo scriptis; cf. Cang.; ital. ‚adjacenca' fem.

aes Plaut. etc. — *aera* fem. epocha Isid. ‚aera' de anno Or. 2, 374 etc. ital. hisp. ‚era'. franc. ‚ère' fem.; cf. Diez Et. Woerterb. 126.

apostema graec. Plin. Veget. — *apostema* fem. Isidor. orig. 4, 7, 19. ‚apostème' comm. franc. saec. 17.; cf. Darmest. 1 p. 251.

battualia plur. tantum Charis. 33, 25. ‚battualia quae vulgo battalia dicuntur' Cassiod. orthogr. K. 7, 178, 4. ‚haec batualia αἱ γυμνασίαι τῶν μονομάχων' Gloss. ap. Quicherat. — ‚ad *batallias*' Additio ad leg. Burgund. Helmold. chron. Slavorum etc.; cf. Cang.; ‚per bataliam' Mon. Hist. Patr. Leges Municip. Genuae col. 243 a. 1143. ital. ‚bataglia'. franc. ‚bataille' etc.; cf. Diez Gramm. 24.

caput Liv. Andron. etc. — ‚*capitas* ambas' de locis Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 156 a. 945. ‚de ambabus capitibus' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 116 a. 1006. Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 200 a. 1054; ‚capita inculta squalidaque barba incedebant' 1, 362, 41. ital. plur. ‚capita' Vita S. Domen. ms. 52 col. 2.

casale Innocent. grom. — ‚*casales*, casalem' etc. saepe Mon. Venet. 2, Doc. 2 saeculo 11., velut col. 162 a. 1033. ‚cassalias' acc. plur. Charta ital. Mar. 151 et 152 medio 9. saeculo. — ital. ‚casale' masc.

cauma graec. Vulgat. — ‚immensam ac validissimam *caumam*' Anon. Ravenn. pag. 136. hisp. ital. lusit. ‚calma'. — franc. ‚calme' masc. etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 78.

chrisma graec. Tertullian. — *crismae* genet. Agnell. c. 167 etc.; cf. Cang.

commune Cic. Frontin. etc. — ‚cum *communiis*' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 78 a. 969. ‚communia jacente' 286 a. 1079. ‚communam' acc. Laus Pomp. 121 a. 1129. saepissime in medii aevi scriptis vario sensu; cf. Cang.; ital. ‚comuna.' provinc. ‚comunia'. franc. ‚commune.' — inde derivatum ‚communantia' fem. Laus Pomp. 162 a. 1148.

conamen Lucr. Ovid. — *conaminae* nom. plur. Gloss. Mai class. auct. 7, 556.

corpus Naev. etc. — ‚sana *corpore*' Lex Romana Utin. 407, 21. hispan. ‚cuerpo' et ‚corpa' diversa significatione.

exemplar Cic. etc. ‚exemplarium' Lucan. etc.; cf. Neue 555. — ‚exemplares' masc. plur. Tac. etc.; cf. Neue 658. — *exemplarias* acc. plur. formula saec. 7.; cf. Mercier.

gramen Verg. etc. — *gramina* fem. Bell. Paris. 628 circa a. 900. (ital. ‚gramigna' fem.)

idioma graec. Charis. — *idioma* abl. Vita S. Galli Mon. Germ. Scr. 2, 7, 26. — franc. ‚idiome‘ masc.

insigne Plaut. etc. ‚insigna ponam‘ Chron. Altin. 7, 25. ‚juxta insignis quod‘ 9, 10. 11. — ‚*insigna* interposita fuit‘ 39, 16. ‚insignia interposita fuit‘ scribendum est 15, 29. ‚ab insignia quae erat‘ 50, 10. ‚aliquam insignam‘ Stat. Florent. 3, 65. ital. ‚insegna‘. franc. ‚enseigne‘ fem. vexillum, masc. signifer.

‚jacentia loca‘ Sen. Tac. — ‚cum *jacentiis*‘ Mon. Venet. 2, Doc. 2, 157 a. 1027. Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 486 a. 1030 etc. ‚jacentiam‘ acc. Charta a. 1096 Esp. Sagr. 18, 341. — ‚cum reiacenciis‘ Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 509 a. 1035.

latus Enn. etc. — ‚*laderas* ambas‘ Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 47 a. 861. 73 a. 886 etc. ‚de ambabus lateribus‘ Mon. Venet. 2, Doc. 2, 117 a. 1008 etc. — ‚lado uno‘ exempli causa Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 125 a. 925. ital. ‚lato‘.

legumen Cato orig. etc. — ‚qualive *legumina*‘ ablat. Mon. Rav. 89 a. 870. hispan. ‚legumbre‘ val. ‚legumę‘. — lusit. masc. ‚legume‘.

litora plur. saepissime Ovid. Valer. Flacc. etc. Richer. 2, 3. 57 bis. Privil. a. 922 Esp. Sagr. 18, 324. — ‚totas *litoras* quos‘ Chron. Alt. 7, 18. ‚in illis litoris‘ 9, 27. ‚totas litoras quod‘ 41, 17. — ‚litus‘ etc. masc. saepius in eodem. ital. ‚lido, lito‘.

luminare Cato etc. — *luminaria* fem. Charta Caroli Crassi a. 884 etc.; cf. Cang.; hispan. lusit. ‚luminaria‘.

memoriale Paul. dig. etc. — *memoriala* abl. Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 50 a. 861. 80 a. 893. — ital. ‚memoriale‘ masc.

munimen Verg. etc. — ‚cum alia *moniminas*‘ Charta ital. Mar. 159 a. 949. ‚moniminas‘ 161 a. 961 etc.

par de re aequa Plaut. etc. de duobus hominibus vel rebus conjunctis Cic. etc. — *pariae* de parium dignitate Script. a. 1259; cf. Cang.; ital. ‚pajo‘, plur. fem. ‚paja‘. franc. ‚paire‘ fem.

pectora cf. pag. 23. — *pectoras* acc. plur. Chron. Altin. 54, 6. val. ‚pept‘, plur. fem. ‚pepturi‘.

pecus cf. p. 49. — *pecoras* acc. plur. Charta a. 757 Mur. Ant. 3, 569. ‚quemlibet, qualibet, quodlibet pecus‘ acc. ‚pecora alienas et ea‘. ‚quemlibet pecora, eas, quas‘ Lex Sal.; cf. Pott, Kuhns Zeitschr. 3, 113; franc. ‚pecore‘ fem. usque ad Lafont. ital. ‚pecora‘, plur. ‚pecora‘ ovis. ‚pecore ovis‘ Cod. Sang.

pertinentia (i. e. res pertinentes) Plin. nat. hist. 18, 78, 1;

de praediis ‚cum pertinentibus' etc. saepe Chartae medii aevi, velut Charta Romae scripta Mar. 137 a. 587. — ‚cum tota *pertinentia*' Diplom. Chlodov. a. 511 Pardess. 1 p. 61. ‚cum omnibus pertinentiis' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 3 a. 673. ‚omnis pertinentias' Mon. Rav. 234 a. 1002 etc. ‚cum omnibus pertinentiis' Testament. a. 1131 ter Esp. Sagr. 50, 293. saepissime fem. in chartis medii aevi, saepe et fem. et neutr. in eadem charta legitur. ital. ‚pertinenza, pertinenzia.' hisp. ‚pertenencia' franc. ‚appartenance' fem.

phantasma graec. Plin. epist. etc. — *fantasmae* plur. Agnell. c. 132. ital. ‚fantasima' etc. — franc. ‚fantôme' masc.; cf. Diez Et. Woerterb. 580.

pignora plur. cf. p. 23. — *pigneras* acc. plur. Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 56 a. 875; 79 a. 892 pro nomin., ‚pignuram' acc. Concil. hispan. a. 1012; cf. Cang.; lusit. provinc. ‚penhora'.

pondus Lucr. etc. — ‚*pondoras* tres' Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 92 a. 899. ‚ponderas' 103 a. 902. 162 a. 948 etc. ‚ponderarum' gen. plur. Chron. Alt. 33, 4. — ital. ‚pondo' masc.

propoma graec. Plin. Valer. etc. — *propoma* fem. Gloss. ap. Forc.

regalia neutr. saepe medio aevo legitur. — ‚regalium' nomin. Ann. Hildesheim. a. 1162. ‚de regaliis' Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 1025 a. 1195. — *regalia* fem. Append. chron. Mettens. Andreae Dandal. chron. circa a. 1205 etc.; cf. Cang.; franc. ‚regale' fem.

‚robus, robur' Enn. etc. – *roboram* acc. Testament. Portugal. aerae 1208; cf. Cang.; lusit. ‚robora.' prisc. franc. ‚rouvre' fem.

schisma graec. Tertullian. etc. — ‚exorta *scisma*' Carmen de synodo Ticinens. Scr. Long. 190, 1, 26, ubi neutrum nonnunquam legitur. — ital. ‚scisma' masc. etc.

‚secale, sigilum' etc.; cf. Cang. — *sigulas* acc. plur. Capit. de villis 9. ‚sigula' fem. Charta a. 1016. Charta ital. a. 1081 etc.; cf. Cang.; ‚sigala' Gloss. flor. 990 a. roman. partim masc., partim fem.; cf. Diez Et. Woerterb. 298.

sedimen Isidor. Cael. Aurel. etc. — ‚cum *sediminas*' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 46 a. 914 etc. ‚sediminas duas' Mon. Hist. Patr. Chart. 1, 313 a. 996. ‚de sediminis' 212 a. 966 etc.

tempus Plaut. etc. — ‚in vernis *temporis*' Ann. Petav. a. 786 Mon. Germ. Scr. 1, 17. ‚tam in seminibus, quam messium tem-

pora‘ Chron. Bened. Mon. Germ. Scr. 3, 198, 18. ‚quae tempora vel qui princeps existit‘ v. 21. ‚narrator existat dolorum tempora‘ v. 22. Non clare apparet, utrum ‚tempora‘ his locis fem. sit, an non. val. ‚timp‘, plur. fem. ‚timpuri‘.

victualia Commodian. Vulgata, Itin. Alex. Cassiod. etc. Capit. a. 802 etc. ‚victualium‘ neutr. Synod. Mettens. a. 753. Chron. Richardi de S. Germano; cf. Cang. — *victualie* genet. Chron. Altin. 46, 31. franc. ‚vitailles‘. hisp. ‚vitalha.‘ provinc. ‚vitalha‘ fem.

volatilia plur. Itala saepius; cf. Roensch 105; Augustin. (‚volatiles bestiae‘ Cic.) ‚volatilia‘ neutr. Agnell. quater. — ‚diversas volatilia‘ Agnell. 143. hisp. ‚volatilia‘. provinc. ‚volatilha‘. franc. ‚volaille‘ fem.

III. Feminina in neutra conversa.

1. primae et secundae declinationis.

a. prisca aetate.

armenta fem. Enn. Pacuv. Gloss. Cas. n. 72. — *armentum* Lucr. Pompon. etc.

cytisus graec. fem. Colum. — masc. Colum. Plin. — *cytisum* Cato, Varro etc.; cf. Neue 409. 534. 623. Weise 397.

latrina fem. Plaut. Lucil. etc. — ‚*latrina* petiisse‘ Lucil. ‚latrinum‘ acc. Laber.

Menta cognomen saec. 5. ante Christ. nat. ap. Liv. 4, 26, 1. Inde derivatum est diminutivum ‚mentula‘ ap. Catull. etc. — *mentum* Plaut. etc.

b. aurea aetate.

caementa Enn. Corp. Inscr. 1, 577 bis. — *caementum* Varro etc.; cf. Neue 548.

cavilla Plaut. Cic. etc. — *cavillum* Paul. Fest. Apulei. etc. — ‚cavillus‘ Apulei.; cf. Georg.

‚diluvia, diluvies‘ Lucr. etc. — *diluvium* Verg. etc.

exuviae Plaut. Att. Cato etc. — *exuvio* ablat. Propert. 4, 10, 6.

fulmenta Plaut. Cato, Lucil. — *fulmentum* Varro, Vitr. Cels. etc.

hilla Laber. dimin. ab ‚hira‘ derivatum. — ‚Varro *hilum* intestinum tenuissimum, alii hillum‘ Char. p. 102.

insomnia fem. Enn. ‚insomnia‘ pro ‚vigilia‘ fem. Pacuv. — *insomnium* pro ‚somnium‘ Verg. Tac. etc.

Lampsacus graec. Ovid. Val. Flacc. — *Lampsacum* neutr. Cic. Mela, Plin.; cf. Neue 631.
margarites graec. — ‚margerita' Varro, Cic. etc. — *margeritum* Varro, Publil. Syr. etc.; cf. Neue 459. 648.
menda fem. Lucil. etc. ‚menda deceptio' Albini orthogr. K. 7, 305, 5. ‚mendas' acc. plur. Flodoardi epist. a. 948 Mon. Germ. Scr. 3, 365, 9. — *mendum* Varro etc.; cf. Neue 548; ‚menda et mendum recte' Caper de verb. dub. K. 7, 110.
Ostia de urbe fem. Enn. ann. 145 etc. — *Ostia* plur. Sall. etc. ad vocabuli appellativi ‚ostium' similitudinem; cf. Neue 479.
prosecia Lucil. etc. — *prosicium* Paul. Fest.; — ‚prosecta' fem. Licin. Macer. — ‚prosectum' Varro; cf. Neue 449.
treblae plur. Cato. ‚tribula' fem. Col. Vulgat. Augustin. etc., cf. Isid. 20, 14, 10. ‚tribla' improbat Prob. append. p. 199 K. ‚tribula' Stokes Irish Gloss. p. 6 n. 109. — *tribulum* Varro ter, qui l. l. 5, 21 in lingua rustica ‚trivolum' dici commemorat.
vigilia, plerumque plur. Plaut. etc. — *vigilium* Varr. Gl. Labb.

c. argentea et posteriore aetate.

aegrimonia Plaut. Cic. etc. — *aegrimonium* Iren. Itala, Gl. Labb. etc.; cf. Georg.
amygdala cf. p. 47. ἡ ἀμύγδαλος, ἡ ἀμυγδαλῆ arbor. ‚amygdala' Plin. etc. ‚amygdalus' fem. Pallad. etc. — *amygdalum* Colum. etc.; cf. Georg. Vocabulum arboris cum eo, quo fructus significabatur, confusum est.
antilogia graec. — *antilogium* Fulgent. de contin. virg.
Aspendus graec. fem. Cic. etc. — *Aspendum* neutr. Plin.
Astacus graec. fem. Mela etc. — neutr. Plin.; cf. Neue 631.
atomus graec. Lucil. Cic. etc. — ‚atomus' masc. Vitr. Lact. — *atomum* neutr. Priscianea K. Suppl. CLXXV. — franc. ‚atome', it. ‚attimo'; cf. Weise 355.
blasphemia Tertullian. etc.; cf. Weise 361. — **blasphemium** Iren. Commodian etc. Gregor. Turon. hist. Franc. 4, 36; cf. Koffmane 1 p. 32 etc. §. 15. — franc. ‚blâme' masc.
caerimonia Nepos etc. — *cerimonia* neutr. plur. Orelli inscr. 3188. Gloss. Vatic. cl. auct. 8, 140. ‚caerimonium' Gloss. Paris. Hild. p. 50 n. 69.

caltha graec. Verg. Colum. etc.; cf. Weise 367. — *calthum* Prudent. Gloss. lat.

caminus graec. Caper fem. — masc. Cic. Ovid.; cf. Neue 652. Weise 367. — *caminum* nomin. Augustin. serm. ap. Mai nov. patr. coll. 1 p. 4. — val. ‚camin' masc., plur. ‚caminuri' fem.

cholera graec. Cels. Oribas. — *cholerum* Oribas. Galen. lat.; cf. Weise 381.

copula Plaut. etc. — *copulum* Martian. Cap. 1, 1 v. 2. Diefenbach Gloss. ‚copula' plur. Comment. Einsidl. 248, 8. — franc. ‚couple' comm.

corrigia Varro, Cic. etc. — *corrigium* Marc. Emp. Plin. Valer. Isid. 19, 34, 8 cod. Guelf. 1 et 2.

Cyzicus fem. graec. — *Cyzicum* Mela etc.; cf. Neue 631.

delicia, plur. ‚deliciae' Plaut. etc. — *delicium* Sen. etc.; cf. Neue 463. 464. — ‚delicius' masc. Don. Inscr. 1, 132. Inscr. ap. Gori Columb. Liv. p. 73. — hisp. ‚delicia'. prisc. franc. ‚délice' fem.

Epidamnus Plaut. etc. — *Epidamnum* Plin.

Epidaurus graec. fem. (Homer. Ilias uno loco masc.) Cic. etc. — *Epidaurum* Plin. ter.

exsequiae Cic. etc. — *exsequium* acc. Corp. Inscr. 5, 2072, 1 etc.; cf. Neue 464.

gaza graec. fem. Cato ap. Liv. 34, 4. Lucr. Cic. etc. — *gazum* Commodian. instruct. 2, 13, 12. 30, 14. ‚gaza' neutr. Coripp. laud. Justin. 4, 333. Poeta ap. Johann. de Janua.

ignominia Nepos etc. — *ignominium* Commodian. instruct. 1, 19, 1. Isid. orig. 5, 27, 25.

infamia Plaut. etc. — *infamium* Ennod. vita Epiphani 359, 22 Hartel. Isid. 5, 27, 26.

hemicrania graec. Plin. Valer. Marc. Emp. etc. franc. ‚migraine' fem. etc. — *hemicranium* Plin. Valer. etc.; cf. Georg.

malandriae plur. Plin. nat. hist. etc. — *malandria* neutr. plur. Veget.

mastiche graec. Plin. nat. hist. etc. — *mastichum* Pallad. Oribas. — ital. ‚mastice, mastico' masc.

membrana Catull. etc. — *membranum* Cod. Lugdun. Pentat. 213, 25. Cael. Aurel.; ‚membrana' plur. Auctor libri ‚Donum

dei‘ cap. 27. Isid. orig. 6, 11, 1. 4. Gloss. ap. Forc. Ex adjectivo videtur ortum esse.

membranula Cic. etc. — *membranulum* Apulei.

memoria Plaut. etc. — ‚hoc *memorium*‘ Corp. Inscr. 3, 410. — franc. ‚mémoire‘ masc. et fem. significatione diversa.

monodia graec. Isid. etc. — *monodium* Diomed. 492, 13.

neomenia graec. Tertullian. Vulgat. — *neomenium* Vulgat. Gloss. ap. Forc.

novacula Cic. etc. — *novaculum* Glossae.

Orchomenos graec. comm. Ovid. etc. — *Orchomenum* Plin. nat. hist.; cf. Neue 631.

Oricum, quod Neue 631 commemorat, ommittendum est, quia ipsi Graeci neutro hoc vocabulo utuntur.

palpebrae Lucr. etc. — etiam *palpebrum* dici solere Non. p. 218 docet. ‚palpebra‘ plur. Cael. Aurel. etc.; cf. Roensch 270. — ital. ‚palpebra, palpebro‘. hispan. ‚parpado‘; cf. Diez Et. Wörterb. 233. 726.

papyrus graec. Catull. etc. — *papyrum* Cels. etc.; cf. Neue 537. Weise 480.

paronychia graec. Plin. bis. — *paronychium* Petron. Plin. — hispan. ‚panadizo.‘

praestrigiae plur., sing. raro, Plaut. etc. — *praestigium* Hieron. ep. 57, 2. Cassiod. var. 7, 7. de amictu 19,1. Ennod. bis. Isid. Gregor. Turon. in Esp. Sagr. 16, 241. Glossae., ‚praestigia‘ plur. Paulini Aquilej. patriarch. epist. a. 802 Bouq. 5, 635 C. — ital. ‚prestigio, prestigia‘, franc. ‚prestige‘ masc.

querella Plaut. etc. — *querello* ablat. Inscr. Mus. Veron. 255, 4.

querimonia Plaut. etc. — *querimonia* plur. Venant. Fortunat. vita S. Mart. 2, 401. — ital. ‚querimonia‘ fem. ‚querinio‘ masc.

quisquiliae Caecil. etc. — *quisquilia* neutr. Petron. Hisper. Fam. Mai p. 488. Vict. Vittens. 3, 58. Gloss. Amplon. Hymnus in S. Patricium ap. Méril 148, ante saec. 9. compositus. ‚quisquilium‘ Diefenb.

sanctimonia Cornific. Cic. — *sanctimonium* Augustin. Cyprian. Onomast. lat.; cf. Georg.

sapa fem. Varr. Ovid. Plin. Pallad. etc. — *sapa* plur. neutr. Petron.

sarcophagus graec. Plin. etc.; cf. Weise 511. — ‚hoc *sarcofagum*' Inscr. Orelli 4432. Luc. 7, 14 Cant. etc.
suppetiae Plaut. etc. — *suppetium* Commodian.
tegula Plaut. etc. — *tegulum* Plin. nat. hist. Gloss. class. auct. 7, 583. ital. ‚tegola, tegolo'. hispan. ‚teja, tejo' etc.; cf. Diez Et. Wörterb. 319.
terebra Cato etc. — *terebrum* Hieron. in Jesai. 12, 44, 12.
tristimonia Naev. Bell. Afric. — *tristimonium* Petron.
vertebra Cels. etc. — *vertebrum* Plin. Val., Cael. Aurel. saepe; cf. Neue 550.
vindicia Duodecim tabulae etc., plerumque plur. — *vindicium* Inscr. Orelli 4360 a. 386.

d. feminina medio aevo in neutra conversa.

abissus graec. Tertullian. etc. — *abyssum* Tatuin. gramm. ap. Mai gloss. nov. Latin. 77. — ital. ‚abisso.'
acrimonia Naev. etc. — *acrimonium* Gloss. Amplon.
aesculus Varro etc. — *aesculum* Gloss. Loewe prodr. gl. pag. 108.
alopecia graec. Plin. nat. hist. Gloss.; cf. Weise 333. — *alopicium* Gloss. ap. Forc.
arrogia (ὀρυγή) Plin. nat. hist. — *arrogium* Charta saec. 8. ap. Diez. ‚in illo arrogio. de ipso arrogio' Chart. Esp. Sagr. 19, 356 a. 916. — hispan. lusit. ‚arroyo'; ‚arroyuelo' et ‚arroyuela'; cf. Mirisch, Geschichte des Suffixes olus in den romanischen Sprachen, dissert. Bonon. a. 1882, p. 10.
biblus graec. Lucan. etc. — ‚*biblum* funis de navi' Gloss. Mai class. auct. 6, 511; cf. Forc.
caverna Lucr. etc. — *cavernum* Gloss.; cf. Roensch 271.
cistella Plaut. etc.; cf. Weise 385. — *cistella* acc. plur. Aldhelm. de septen. p. 507. Gloss.
contumelia Plaut. — *contumelium* Lex Roman. Utinens. 419, 9.
fallacia Plaut. etc. — *fallacium* acc. Enchempert. hist. Lang. 20.
fimbria Cic. etc. — ‚fimbria gen. fem. et *fimbrium* dicitur neutr.' Beda de orth. K. 7, 272, 15. ‚fimbrium' Gloss. ap. Forc.
gluma Varro etc. — *glumulas* acc. plur. Aldhelm. de sept. p. 511. — *glumula* acc. plur. de laud. virg. 19.

clura Gloss. Labb. Gloss. ap. Forc. — ‚clura vel *glurum*‘ Gloss. Pap.

lacerna Cic. etc. — *lacernum* Gloss. Mai class. auct. 6, 530.

manica Plaut. etc. — ‚manica manubrium, vulgo *manicum*‘ Pap. ‚manico‘ ablat. ‚manicos‘ acc. plur. postremo medio aevo; cf. Cang.; ital. ‚manico‘. hispan. lusit. ‚mango‘ etc.; cf. Diez Et. Wörterb. 203.

‚matula, *matella*‘ Plaut. etc. — ‚matula, *matellum*, matillum‘ Thes. nov. Lat. 347. 363.

materies Plaut. etc. ‚materia‘ Cato etc. — *materium* Legis Salic. forma primitiva etc.; cf. Schuch. 3, 90. — hispan. ‚madero, madera‘.

parsimonia Plaut. etc. — ‚uti *parsimonio*‘ Vita S. Anskarii Mon. Germ. Scr. 2, 718, 13.

sagina Plaut. etc. — ‚de *sagino*‘ saepius Tabul. S. Remigii Remens. ap. Cang. — provinc. ‚sagin, sain‘. franc. ‚sain-doux‘ etc.; cf. Diez Et. Wörterb. 280 s. v. ‚saime‘.

saliva Catull. etc. — *salivum* Onomast. lat.-graec.

sportula Plaut. etc. — ‚in *sportulo*‘ Lex Rom. Utin. 23, 4. ital. ‚sportello, sportella‘.

symphonia graec. Cic. etc.; cf. Weise 526. — *symphonium* Schol. Bern. ad Verg. ge. 2, 193.

taberna Plaut. etc. — *tabernum* Gloss. Amplon.

2. tertiae declinationis feminina in neutra conversa.

a. aurea aetate.

pollinem acc. Cato etc. ‚pollinis‘ genet. Ter. etc. ‚pollines‘ plur. Cael. Aurel.; nom. sing. in usu non erat. ‚haec pollis‘ Charis. ‚hic pollis‘ Phoc. — ‚hoc *pollen*‘ Caesar, Prob., Cledon. Sacerdos, ceterorum vocabulorum, quae in ‚en‘ exibant, similitudinem secuti; cf. Neue 494.

praesepes Plaut. Cato, Varr. — *praesepe* Verg. etc. ‚praesepium‘ Plin. etc. ‚praesepiis‘ ablat. plur. Varr. etc.; cf. Neue 553.

b. argentea et posteriore aetate.

convallis Varr. etc. — *convallia* plur. Grom. p. 308. 320. 342. 397.

linter fem. Cato etc. comm. Priscian. — ‚*lintrum* σκαφή, lintrus μονόξυλον‘ Gloss. lat. graec.

c. medio aevo.

vermis Lucr. etc. — *vermia* nom. plur. Hisp. Fam. 484 Mai.

B. Neutra cum masculinis commutata.

α. vocabula a Graecis utroque genere usurpata.

ὁ, ἡ *ἀλάβαστρος, τὰ ἀλάβαστρα*; cf. Neue 529. Weise 332.
τὸ ἀμάρακον, ὁ ἀμάρακος; cf. Neue 529. 622.
ἡ, ὁ *βάρβιτος, τὸ βάρβιτον*; cf. Neue 652.
ὁ *θύμος, τὸ θύμον*; cf. Neue 408.
ὁ *κόλλυβος, τὸ κόλλυβον*; cf. Forc. Weise 388.
ὁ, ἡ *κρόκος* de planta Graeci, *τὸ κρόκον* de colore. Latini ‚crocus' comm. et ‚crocum' neutr. promiscue usurpant; cf. Neue 407. 534. 623. Weise 393.
ὁ *κύπειρος, τὸ κύπειρον*; cf. Neue 534. Weise 397.
ὁ *σύμβολος, τὸ σύμβολον*; cf. Neue 539. Weise 526.

β. Nomina adjectiva.

nuntius. Hoc vocabulum, quo primo is qui aliquid nuntiat vocabatur, ad rem nuntiatam significandam inde a Plauto (capt. 780 etc.) usurpatum est. — ‚nova *nuntia*' plur. Catull. 63, 75. ‚de caelo nuntium erit' Censorin. tab. ap. Varron. l. l. 6, 80. ‚nuntia dura' Commodian. apol. 892, qui masculino semel utitur. ‚neutrum apud aliquos non receptae auctoritatis est, sed doctos' Non. 215. ‚nuntia' Vulg. Esdr. 8, 14. ‚grandia nuntia' Sedul. 2, 474. cf. Isid. orig. 10, 189. Iis locis, quos praeterea Georges affert, adjectivum est cum substantivis conjunctum. ‚nuntium' neutrum saepissime, ‚renuntium' neutr. nonnunquam in scriptis medii aevi legitur.

I. Substantiva, quae et masculina et neutra eadem aetate usurpata sunt.

a. prisca aetate.

aevum Enn. Pacuv. Lucr. etc. — *aevus* Plaut. Lucr.; cf. Neue 435. 529.
angiportus Plaut. etc. — *angiportum* Plaut. etc.; cf. Neue 521.
artua plur. Plaut. ‚veteres neutro quoque genere artu' Priscian. — *artus* Pacuv. Att. Lucr. etc.
caelus Enn. Petron. etc. ‚caelos' acc. plur. Lucr. etc.; cf. Neue 415. 541. — *caelum* Plaut. etc. — franc. ‚ciel' masc. etc.

caseus Plaut. Lucil. etc. ital. ‚cacio'. — *caseum* Plaut. Cato etc. Oribas. 4, 6. Anthim. ep. 79 et 80 p. 94 Rose. Gloss. arab. lat.; cf. Neue 531.

cliva plur. Cato, Memm. — *clivos* acc. plur. Hor. etc. ‚clivus' Ter. etc.; cf. Neue 545; ital. ‚clivo' masc.

collegium Plaut. etc. — *collegius* Acta fratr. arv. a. 81 ter etc. Corp. Inscr. 8, 1878; cf. Neue 540; ital. ‚collegio' etc.

collus Naev. Plaut. Cato etc.; cf. Neue 533; ital. ‚collo'. — *collum* Plaut. etc.

corium Plaut. etc. — *corius* Plaut. Varr.; cf. Neue 534. — ital. ‚cuojo', plur. fem. ‚cuoja'.

cullea plur. Cato. ‚culleum' Isid. orig. 5, 27, 36. Gloss. Amplon. bis. — *culleos* acc. plur. Cato etc. ‚culleus' Sen. etc.; cf. Neue 545; ital. ‚culleo'.

frenos acc. plur. Att. etc. — *frena* plur. Att. etc. ‚frenum' sing. Poeta ap. Cic. etc. Romanici masc.; cf. Diez, Roman. Wortschöpfung p. 77.

loci, *loca* cf. Neue 540; ital. ‚luogo' etc. — ‚per locas' Mon. Venet. 2, Doc. 2, 4 a. 673. ‚locas' acc. plur. saepissime chartae ital., saepe cum adjectivo feminino conjunctum. cf. ‚quascunque loca apertae' Oribas. 4, 25.

macellum Varro, Manil. etc. — *macellus* Pompon. Martial.; cf. Neue 536; ital. ‚macella'.

modium Cato. ‚modia' plur. Plin. nat. hist. — *modios* acc. plur. Cato etc. ‚hic modius' Caper de orth. K. 7, 101; cf. pag. 62.

mundus de munditia Att. — *mundum* de mulierum ornamentis Lucil. Glossae; cf. Forc. Neue 536.

murmur neutr. Lucr. etc. — *murmur* masc. Varr. Priscian. Itala Joh. 7, 12; cf. Neue 688; ital. ‚murmure'.

pane nomin. Plaut. curc. 367. — *panem* acc. idem quinquies, ‚panes' plur. idem. ‚panis' Cato etc. ‚apud vos est positum hoc pane et hic panis' Arnob. franc. ‚pain' masc. etc. — ‚panis' fem. Uson. de mirac. S. Otmari (medio saec. 9.) Mon. Germ. Scr. 2, 49, 11.

pileus Plaut. etc. ital. ‚pileo'. — *pileum* Plaut. fr. ap. Non. 220, 16. ‚pilea' plur. Pers. etc. ‚pileum' Isid. orig. 19, 21, 3. 30, 5 bis. 31, 4 bis. 31, 5. — ‚pileolus' Hor. Colum. — ‚pileolum' Hieron.

qualus Cato, Verg. etc. — *quala* plur. Cato bis.

rictus quartae decl. Comic. fragm. Catull. Ovid. Solin. etc. — *ricta* plur. Lucr. ‚rictum‘ nomin. Cic.

sal neutr. Fab. Pictor, Afran. Varr. etc. — *sal* masc. Plaut. etc. ital. ‚sale‘ masc. etc. — fem. Oribas. 1, 15; cf. Neue 670.

sanguen neutr. Enn. etc. — *sanguis* masc. Plaut. etc.; cf. Neue 153. Schuch. 1, 117; ital. ‚sangue‘ masc. etc.

trulleum Cato, Varr. Gloss. Labb. — *trulleus* Cato, Lucil. Plin. nat. hist.

uterum Plaut. Turpil. Afran. Apulei. — *uterus* Plaut. etc. (‚uter‘ masc. Caecil. etc.); cf. Neue 540; ital. ‚utero‘.

vadum Att. Lucr. Verg. etc. — *vadus* Fragm. trag. Varr. Sall. etc.; cf. Neue 528; franc. ‚gué‘ masc. etc.

volgus neutr. Ter. etc. — *volgum* acc. Att. etc.; cf. Neue 653; ital. ‚volgo‘.

voltus Plaut. etc. — *volta* plur. Enn. Lucil. Inscr. mutila ap. Forc. — ‚in volta‘ de loco exempli causa Mon. Venet. 2, Doc. 2, 86 a. 972. ital. ‚volta‘ fem. et ‚volto‘ masc. significatione diversa.

b. aurea aetate.

aerarium Cic. Nep. Liv. Sueton. — *aerarios* acc. plur. de divitiis Varr. ap. Non. p. 190. ital. ‚erario‘.

baculum Ovid. saepius. Paul. Fest. etc. — *baculus* Ovid. fast. semel. Auson. etc.; cf. Neue 530; ital. ‚bacolo‘.

balteus Verg. Ovid. etc. ‚baltei‘ plur. Vitr. ‚balteos‘ acc. plur. Tacit. etc. ital. ‚balteo‘. — *balteum* Varr. Isidor. Albin. de orth. K. 7, 298, 20. ‚baltea‘ plur. Prop. etc. — ital. ‚balza‘ fem., ‚balzo‘ masc. valach. ‚baltz‘, plur. fem. ‚baltzuri‘; cf. Neue 530.

cingulum cf. pag. 52. — ‚*cingulus* terrae‘ Cic. Macrob. ‚cingulos‘ homines tenues Paul. Fest. et Servius appellant. ital. ‚cingolo‘.

cuniculum Paul. Fest. in lemmate. Cassiod. Gloss. Labb.; cf. Neue 534. — *cuniculus* Cic. Plin. Neutrum posterius videtur ortum esse, ut aliqua esset a bestia, quae ‚cuniculus‘ appellatur, distinctio. ital. ‚cunicolo‘.

fascinum Hor. Petron. etc. ‚fascinum hoc‘ Caper de verb. dub. K. 7, 109. — *fascinos* acc. plur. Verg. catal. ‚fascinus‘ Ignat. ep. ad Rom. c. 7. ital. ‚fascino‘.

‚incestus masc. recte latineque a plerisque veterum‘ Gell. ‚in-

cestus' quartae declin. Cic. — *incestum* Cic. Paul. Fest. Quintil. — ital. ,incesto' masc. etc.

libum Varr. etc. — *libus* Nigidius.

palatum Varr. Sen. Colum. Plin. — *palatus* Cic. de fin. uno loco; cf. Neue 537; ital. ,palato'.

vallum de toto munimento Varr. Caes. etc. — *vallus* plerumque de palo ad muniendum usurpato, velut ap. Cic. Verg. Liv. dicitur, de munimento legitur ap. Caes. bell. civ. 3, 63: ,Erat eo loco fossa pedum XV et *vallum* contra hostem in altitudinem pedum X, tantundemque eius valli ager in latitudinem patebat: ab eo intermisso spatio pedum DC *alter conversus* in contrariam partem erat *vallus* . . . . . Caesar . . . *duplicem* fecerat vallum . . . . milites in *exteriorem* vallum tela jaciebant . . . . inter *duos vallos*'. Tam clare apparet, Caesarem, sermonis castrensis licentiam secutum, masculinum pro neutro posuisse, ut primo illo loco, quo solo neutrum traditum est, vulgata lectio ,vallus' in textum videatur recipienda esse. Certe neque ,vallus' his locis de palo potest intellegi, neque septem vocabulis mutatis neutrum pro masculino poni. Atque in libros de bello civili, quos non prorsus politos Caesar reliquit, haec forma sermonis vulgaris irrepsit, in commentariis de bello Gallico eodem sensu ubique neutrum positum est, masc. bell. Alexandr. 2, 4; cf. Neue 540; ital. ,vallo' etc.

c. argentea et posteriore aetate.

apium Plin. etc. — *apius* Apic. etc.; cf. Neue 529; ital. ,apio, etc.; cf. Diez Gramm. p. 22.

caepicium Arnob. — ,*caepicius* veteres' Cyprian. ,caepicium, caepicius' Caper ap. Priscian. Mai thes. nov. Lat. 134.

fundibalus Ambros. Isid. — *fundibulum* Vulgat. Gloss. Labb.; cf. pag. 60.

d. medio aevo.

,abellus, avellus, *abellum* agnus recens natus' Gloss.

,aratilli porri vineae' Gloss. — *aretillum* Gloss. lat.-graec. Gloss. Amplon.; cf. Forc.

,bacaulum feretrum in quo mortui eferuntur' Gloss. — *baccaulus* Gloss.; cf. Forc.

,catomum vel *catomus* virga, linea' Gloss.; cf. Forc.

II. Neutra in masculina conversa.

1. secundae et quartae declinationis.

a. prisca aetate.

blitum graec. Plaut. — *blitus* Titin. Pallad. ‚bletus' Oribas. 1, 5. ital. ‚blito'. hispan. ‚bledo'. — franc. ‚blette' fem.; cf. Weise 361.

castellum diminutivum a ‚castrum' fictum Cic. etc. — ‚*castelum* quem' Corp. Inscr. 1, 199 a. 117 a. Chr. ‚castelli' plur. Paul. dig. 30, 41. masc. Corp. Inscr. 8, 8426. Itala compluries. ‚castellos' acc. plur. Chron. Altin. 43, 37. ital. ‚castello' etc.

clatra plur. graec. Prop. ‚clatra plur. recte latine' Caper. — *clatri* Cato, Hor. Colum. etc.; cf. Weise 385.

forum Plaut. etc. — eodem sensu *forus* Lucil. Isid. 18, 15, 1. 15, 2, 27; cf. Neue 457. — ‚fora spatia plana in navibus' Isid. 15, 6, 8. idem ‚fori navium' 19, 2, 2. Ea igitur, quae nobis usitata est, inter ‚forum' et ‚forus' significationis differentia primo non valuit. ital. ‚foro'.

genu Plaut. etc. — *genus* Lucil. — franc. ‚genou' masc.

lapathum graec.; cf. pag. 54. — *lapathus* masc. Lucil. hispan. ‚lapato'. lusit. ‚lapazo'; cf. Weise 446.

lutum Plaut. etc. — *lutus* Claud. Quadrig. Corp. Inscr. 4, 1516. 5, 4905.

patibulum Cato etc. — *patibulus* Licin. Macer; cf. Neue 537; ital. ‚patibolo'.

b. aurea aetate.

caduceum (κηρυκεῖον) Gell. Macrob. Serv. etc. — *caduceus* Cic. etc. — ‚caducea virga Mercurii' Mai thes. nov. Lat. 144; cf. Weise 365; ital. ‚caduceo'.

calamistrum Plaut. etc. — *hunc calamistrum* Varr. etc.; cf. Neue 531; ital. ‚calamistro'.

callum Plaut. Cic. Pallad. Plin. — *callus* Domit. Mars. Cels. Scribon. Larg.; cf. Beda de orth. K. 7, 268, 1; ‚callus' saepe, ‚callum' rarius Diefenb. Gloss.; cf. Neue 531; ital. ‚callo'.

catinum Cato etc. — *catinus* Varr. Maecenas; cf. Neue 532; ital. ‚catino'.

cavum cf. pag. 52. — *cavus* Varr. etc.; cf. Neue 532.

cornu Plaut. etc. ‚cornum' Lucr. etc. — *cornus* masc. Varr. Cic. Plin. etc.; cf. Georg.; ital. ‚corno' etc.

geniculum Varr. etc. — ‚*geniculus* aquaeductus‘ Vitr.
intestina cf. p. 54. — *intestini* plur. Varr. ital. ‚intestini‘.
lupinum Cato etc. — *lupinus* Ovid. Martial.; cf. Georg.; ital. ‚lupino‘.
nasum Plaut. Lucil. Vitr.; cf. Neue 537. — *nasus* Cic. Hor. etc. ital. ‚naso‘ etc.
ocimum graec. Colum. Pers. — *ocimus* Aemil. Macer, Domit. Mars. Apic.; cf. Neue 537.
pastillum Varr. Paul. Fest. — *pastillus* Hor. Plin. etc. ital. ‚pastello‘ etc.; cf. Diez Et. Woerterb. 238.
reticulum Claud. Quadr. — *reticulus* Varr. Fenest. Petron. Plin. nat. hist. Ulpian. Trebell. Galien. 16.
‚rogum hoc‘ Afran.; cf. Neue 538. — *rogus* Cic. etc. ital. ‚rogo‘.
salinum Plaut. Hor. Liv. etc. — *salini* plur. Varr.
scamna plur. Enn. etc. inde scamnellum Prisc. Paul. Nolan. ‚scamnulum‘ Diom. — *scamnillus* Vitr. bis. ital. ‚scannello‘.
spara plur. Lucil. — ‚*spari*, sparos‘ Sall. Gell. ‚sparus‘ Verg.; cf. Neue 545.

c. in argentea et posteriore Latinitate.

acetabulum Cato etc. — *acetabulus* Apic.; cf. pag. 52; ital. ‚acetabolo, acetabulo‘.
acinum cf. pag. 51. — ‚*acini*, acinos‘ plur. Colum. Plin. nat. hist. etc.; cf. Neue 544; ital. ‚acino‘.
acetum Plaut. etc. — *acitus* Oribas. ital. ‚aceto‘.
aedificium cf. pag. 57. — *hunc aedificium* Gruter. inscr. 1053, 11. ital. ‚edificio‘ etc.
agaricum graec. Plin. etc.; cf. Weise 331. — *agaricus* Oribas. hispan. ‚garzo‘. franc. ‚agaric‘.
alium Lucil. etc. — ‚alium, non *alius*, quia alia‘ Caper de verb. dub. K. 7, 107, 11.
amphitheatrum graec. Vitr. etc.; cf. Weise 336. — *amphitheater* Chronogr.; cf. Georg.; ital. ‚anfiteatro‘ etc.
anethum graec. Verg.; cf. Weise 336. — *anethus* Oribas. ital. ‚aneto‘ etc.
anisum graec. Cato etc. — *anisus* Theod. Prisc. de diaeta 10. franc. ‚anis‘ masc. etc.
aratrum Cato etc. — *arater* Lex Augusti ap. Hygin. grom.

p. 112 etc.; cf. Neue 550. Diez Et. Woerterb. 23. Pott in encycl. Ersch. et Gruberi I, 62, 499.

bacillum Afran. Cic. etc. — *bacellus* Hieron. ,bacillus' Isid. Not. Bern. Adamant. mart. ap. Cassiod. de orth. 5. ,bacilla, bacillum, bacillus' Diefenb.

balneum graec.; cf. Weise 358. — *balneus* Petron. Inscr. ap. Marini acta fratr. arv. p. 532. Oribas. 15, 27. 19, 32. Praecept. Caroli Calvi; cf. O. Keller in Fleckeis. ann. phil. 1873 p. 804 sq.; ital. ,bagno' etc

canistra plur. Varr. Cic. Verg. etc. ,canistrum' Paul. Fest. Symmach. — *canistros* acc. plur. Pallad. — ital. ,canestro' etc.; cf. Weise 368.

canistellum Paul. Fest. Symmach. etc. — *canistellus* Not. Tiron.; de panis genere Charta a. 1176 ap. Cang.; cf. Neue 531.

canticum cf. pag. 52. — *canticus* Victorin. Ephes. 5, 19; ital. ,cantico' et ,cantica'.

castra plur. cf. pag. 52. — *castrum hunc* Corp. Inscr. 5, 5418. ,castros duos' Charta a. 775 Esp. Sagr. 18, 307. masc. Joh. chron. Venet. pag. 7. 8 sq. Charta saec. 10. Laus Pomp. 52, 13. Chron. Noval. p. 31 etc.

cepotaphium graec. Inscr. — *cepotaphius* Orell. inscr. 4516; cf. Weise 375.

cerebrum Plaut. etc. — ,hoc cerebrum est, nam *cereber* qui dicunt, sine cerebro vivunt' Caper de orth. K. 7, 103, 6. ,interiorem cerebrum' Fulgent. 3, 9.

cerebellum Titin. etc. — *cerebellus* Oribas. 20, 17. Gloss. Sang. 931; cf. Diez, Roman. Wortschoepfung. 25; cf. pag. 58.

cilium Plin. etc. cf. Caper de verb. dub. K. 7, 111, 14.

colon graec. Plin. — *colus* Seren. Sammon.; cf. Weise 388.

cubiculum Plaut. etc. — *cubiculus* Itiner. Hierosol. Inscr. ap. Gruter. 172, 8, ubi ,cubiculum' antecedit. Itiner. Burdugal. Inscr. a. 336. ,cubiculos' acc. plur. Mon. Rav. 23 sq. ital. ,cubiculo'.

didrachmon graec. — *didrachimi* plur. Cod. Lugdun. Pentat. 239, 28; cf. pag. 53.

diluvium Verg. etc. — ,multos *diluvios*' Ps. Fulgent. serm. 45 col. 911 a. ital. ,diluvio'.

dolium Plaut. etc. — *doleus* Grom. 296, 9. 14. 18.

epitaphium graec. Inscr. Orell. 4518. — *epitaphius* Inscr. ap. Le Blant I n. 17. confusum est cum masculino ,epita-

phius‘, quod de oratione funebri dicebatur. — ‚épitaphe‘ franc. saec. 16. comm.; cf. Darmest. 251.

fanum Plaut. etc. — ‚*fanos* tuos‘ pro στήλας Itala; cf. Roensch 266.

fatum cf. pag. 53. — *fatus* Petron. Inscriptiones plurimae; cf. Neue 534; ital. ‚fato‘.

filum cf. pag. 59. — *fili* plur. Lucan.; cf. Phocas p. 426, 29 K. ‚filus‘ Arnob. Verecund. in cantic. Ezech. 5, 5; cf. Georg.

firmamentum Cic. etc. — ‚*firmamentum* omnem‘ acc. Itala; cf. Roensch 266; ital. ‚firmamento‘ etc.

foenum Cato etc. — *foenus* Itala; cf. Roensch 266.

feniculum Plaut. etc. — ‚*feniculus* coctus edet‘ Orib. 5, 15.

galbanum (χαλβάνη Marc. dig.) Colum. Lucan. Plin. nat. hist. — *galbanus* Vulg. eccl. 24, 21. franc. ‚galban‘ masc. etc.

gremium Plaut. etc. — *gremius* Charis. exc. Gramm. de idiom. gen. K. 4, 574, 43.

herediolum Colum. Gell. Apulei. — *herediolus* Apulei.

hexagonum graec. Colum. Grom. Isid. — *hexagonus* Frontin. etc.; cf. Georg.; ital. ‚esagono‘.

